STEPH · ANTONI MORCELLI

ELECTORVM

LIBRI II ·

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORVM TITVLO MINERVA

ANNO M · DCCC · XVIII

STEPH · ANTONI MORCELLI

ELECTORVM

LIBRI II ·

QVOS ANDREAS ANT · F · ANDREIVS

RHETOR

EDENDOS CVRAVIT

ERVDITIONI EPHEBORVM

LYCII CLARENSIS

MENDIS EDITIONIS PRIMAE SVBLATIS

CARMINVM NVMERO AVCTO

Blanda poëtarum vobis munuscula parvus
Dat liber hic : faciles accipite, o pueri,
Scilicet ingeniis aptum, studiisque paratum,
Per quae mens sophiae docta viam ingreditur.
Dulcifero incipiens orator carmine crevit,
Gratius historiae a carmine surget opus.

PROOEMIVM

Electa, quae titulo indicantur, (1) quid sint, et unde sint, volumine, opinor, explicato, lector facile noverit: at consilium ejus, qui haec congessit, non item. de hoc propterea hic proferri aliquid exponique commode factum videatur. enimvero ut rem statim attingam, quae ante oculos est, genus hoc scriptionis, quod Epigramma Graeci appellarunt, primi etiam Graeci impensius coluerunt. Anthologia testis est, epigrammatum bonorum magnam copiam complexa, in quibus poëtarum veterum ingenium plane eminet ac venustas. Sunt enim ea, sive sententiam spectes, sive verborum contextum ipsum ac sonum, concinna plerumque ac succi plena et dignitatis. Graecorum autem stilum ac formam Latini etiam apte studioseque imitati sunt, quamdiu eos infusa in urbem peregrinitas non infecit: quae Martialis aevo dominata germanum illum leporem antiquamque festivitatem pene perdidit. nec vero dispar majorum nostrorum exitus fuit, qui ante annos fere trecentos, studiis litterarum per Italiam revocatis, Graecorum ac Latinorum veterem perdiu elegantiam aemulati videantur. imitationis enim illius adsiduae ac diligentis tandem pertaesum est, et nova paullatim scribendi ratio subrepsit eorum, qui acumine quodam inepto delectarentur, et argutias omnino illepidas adamarent. hos vero tamquam bonos intelligendi ac scribendi magistros avi no-

(1) de titulis librorum apud Graecos Latinosque vide Praefationes Plinii ad Hist. Natur. et Gellii in Noct. Attic.

stri, jam sensus stupore pristinam suavitatem non sentientes, mirifice suspiciebant, et unos sapere aliquid existimabant: quos hodie nos mature sani ridemus, egregiis auctoribns eruditi, quos nostra aetas protulit.

In hac igitur luce ac tanta hominum doctissimorum comprobatione nihil magis appositum ad retinendos probatissimorum temporum sensus futurum erat, quam si consentientium exemplorum series exhiberetur, quae diversarum aetatum unam mentem unumque judicium repraesentaret ob oculos confirmaretque. atque haec quidem prima fuit curae atque operae hujusmodi suscipiendae ratio, ut ea tironibus exemplorum varietas et copia suppeteret, quae ipsos excurrere alio, malosque ad fontes accedere non pateretur.

Verum quia et in majoribus illis nostris, quos maxime a stilo probamus, unosque imitandos contendimus, fuit omnino aliquid, quod reprehendendum jure sit; cavere simul opus erat, ne studio abrepti nimio id etiam, quod illorum vitium fuit, adsciscere, ac prope commendare videremur. hoc autem fere omnes peccarunt, quod avitae religionis obliti, ita leves atque inconsiderantes fuerunt, ut carmina sua manifestis vetustae superstitionis indiciis et omnibus adspergerent maculis. itaque in summa copia delectu maximopere utendum fuit, qui et molestissimus saepe accidit, indignantibus nobis atque aegre ferentibus, in optimis quibusque poëtis tantum amentiae fuisse, ut in libellis eorum vel refertissimis vix unum alterumve occurreret epigramma, quod tolli posset. atqui omnia tamen severe re-

jecimus, quaecumque Christianae religioni, cui dediti sumus, adversa obferrent, inaniumque deorum fabulas aut nomina obtruderent. ac merito quidem et jure rejecimus, nam haec profecto non modo homine Christiano indigna sunt, quod jam trecentis abhinc annis Mutius Camers multarum litterarum vir admonebat; (2) sed etiam inepta plane atque absona, quum poëtam tamquam amentem et professioni suae minime consentanea sectantem ostendant. quid enim poëtam levitatis furorisque accuset magis, quam seria quaedam deorum dearumque appellatio, quae, nisi fatuus sit, rideat semper oportet, atque contemptui habeat? qua olim in sententia fuit vel Britannus auctor, a quo *Epigrammatum Delectus* Londini editus est anno M.DCC.XI. is enim de Christiano poëta, qui *Iovis* nomen Catulli more versibus suis inseruisset, *En,* inquit, *quo perduxerit hominem Christianum et ceteroquin pium perversa Catulli imitatio: qui in Christiani jejunii sollemnitate explicanda profanum* Iovis *nomen usurpare non veritus sit.* (3) quod si majores nostri in his passim delirarunt, pessimoque exemplo vetera illa commenta Christianis sacris intermiscuerunt; nostra demum laus erit, si vestigiis eorum tandem relictis, saniore consilio poësim aliquando Christianam fecerimus, veterum utique elegantiam non superstitionem sequuti. in quo quidem Graecos Latinosque priscos felicius imitati esse dicemur: e quibus nemo unquam, qui se initio Stoicum palam professus esset, in

(2) apud Possev. Bibl. sel. l. XVII. p. 305. et 306.
(3) in Dissert. p. 26.

Epicureorum scita ne versibus quidem ludens delapsus est, nec si quis deos semel suos agnoscere se ac venerari ostendisset, eodem in scripto Atheorum etiam sectae se adhaerere declaravit.

Jam vero haec praefati, prope supervacaneum est, ut de poëtica ista exercitatione atque stilo aliquid praeloquamur. nam exempla ipsa, quae hic proferentur, tironibus quasi norma quaedam praescriptioque esse debent: unde ediscere quisque legendo possit, quid maxime ad scribendum eligi, quid ornari fusius, quid leviter perstringi, quid denique versu concludi par sit. primum enim vel in summa ubertate brevem esse oportere, qui epigramma facit, in comperto est. eundem scribere debere eleganter, nitide, argute, omnes sentiunt. elegantia autem non deerit, si electa maxime sint verba, nec versus hient. nitor erit, si sententia in primis perspicua et compta. argutia demum, si quid inauditum, admirabile, vixque exspectatum exsistat. quod reliquum est, duas habet partes epigramma, expositionem et clausulam. illa quidem et simplex et multiplex esse potest: haec vero brevior omnino, et quae praecedentibus apte respondeat, sive epiphonema sit, sive comparatio aliqua, sive dictum, sive documentum: in quibus grande quid, aut novum aut lepidum aut jocundum prodas. genus denique ipsum orationis qualecumque locum habere potest: simplex, grave, magnificum, temperatum, concinnum, tenue, festivum, quemadmodum exempla te nostra docebunt: quorum etiam metrum sequi praestat quum plerique omnes, quibus haec in deliciis fuere, vix alio usi sint.

DE SCRIPTORIBVS EPIGRAMMATVM
ET HENDECASYLLABORVM
QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR

Pauca hic ex antiquis delibata obferemus, partim quod opera eorum cuique in promptu sunt, partim quod idonea, quae huc inferantur, carmina in illis non multa esse possunt. de ipsis etiam auctoribus, hoc est de Catullo et Laurea et Statio et Martiali quid me attinet dicere? quae de his tradi possunt, ea multo habent plerique notiora, quam nos: sunt enim ii, quos poëtae imitari solent id temporis, et a quibus auctoritas petenda est, si quis sua tueri velit. quamquam, si sapimus, primum quidem, qui aurea illa aetate floruit, quum Latinam linguam nihil ex peregrinitate olere poterat, vel sine delectu nos sequi possumus: reliquos, qui ab illis temporibus nonnihil distant, parce et timide degustari quam maxime interest, ne nos quoque ab eleganti et Latina scriptione paullatim recedamus.

De iis igitur potius dicemus, qui vel aetate nostra vel proximis aetatibus, quum jam bonae artes revixerant, ita claruisse visi sunt, ut eorum carmina tamquam cultioris stili exempla in hoc volumen merito congerenda arbitraremur. sic autem singulos secundum ordinem litterarum enumerabimus, ut ex prima cujusque coguominis littera inveoire possis quem quaeras. numerum quoque ordinis cuique sui adscribemus, eundemque numerum adponemus epigrammati aut hendecasyllabis singulorum, ut ex eo ipso numero auctorem cujusque carminis, quoties libuerit, facile agnoscas.

I. ARCHIVS Nicolaus Oderici filius, Dynasta Archensium in finibus Tridentinis, vir et factis clarus et scriptis, qui decessisse fertur an. M.D.XXXXVI. ejus carmina Veronae edita an. M.DCC.LXXII. hoc titulo NVMERORVM LIBRI IIII. floruit autem amicitiis doctorum hominum, quibus aequalis erat, poëta ipse in primis elegans plane ac Latinus: nisi quod eodem, quo ceteri ejus aetatis poëtae, morbo laborabat, ut mala superstitiosi cultus imitatione, saepe etiam licentia quadam sermonis lasciviaque diffllueret. v. Mazzuch. de Ital. Script.

II. BASSANVS Iac. Antonius S. I. hujus vitam scripsit Robertius, a quo orator doctus, poëta elegans deque politiori humanitate optime meritus jure appellatur. fuit autem ortu Venetus, civitate Vicetinus. Societati Jesu nomen dedit Bononiae, vixitque in ea Deo et litteris ad annum aetatis suae LXI. diem vero suum obiit apud Forocornelienses an. M.DCC.XXXXVII. XII. kal. Iunias. Poëmata ejus Latina et vernacula Patavii vulgata an. M.DCC.XXXXVIIII.

III. BONVS Maurus S. I. vivit (1), opinor, rem litterariam aucturus Venetiis, scriptor politissimus, qui et sua et clarorum auctorum opera edenda curavit. hic Cremonae ab ineunte aetate magistro usus est Mauro Bettolinio cive nostro eruditissimo, quem non sine rei litterariae detrimento nuper amisimus. saepe autem hunc de tali viro gloriantem audivimus, quod primus ingenium ejus conformasset, et quid a puero portenderet, multo ante pervidisset. historiam porro plane arcanam ab eo adornatam constat artificum sequioris aevi, qui omnis generis caelatura praestiterunt: quos inter Paullus ille Ageminius eminet, de cujus artificio singulari epistolam jam habemus ad Lanzium. Bibliothecam vero edidit parvulam non exigui pretii, quae scriptores Graecos Latinosque ve-

(1) Decessit Regii Lepidi prid. non. Ianuar. an. 1817., cujus epitaphium habes in Parergo n. CCCXI.

teris aevi duobus voluminibus accurate recenset: epistolas quoque de iis, qui primi apud nos artem novam librariam exercuerunt.

IIII. CAPILVPVS Hippolytus domo Mantua, cui fratres fuere Laelius et Camillus, qui non minori laude poësim coluerunt. Hippolyti major fama et auctoritas: nam et Pontificatu Fanensi potitus est, a Pio IIII. Pont. max. designatus, atque ab eodem cum Legati potestate Venetias missus. decessit Romae an. M.D.LXXX. postquam se Pontificatu abdicasset. epitaphium ejus refert Vghellus Ital. sacr. vol. I. p. 718.

V. CASA Ioannes Florentinus. magnum adhuc tanti scriptoris nomen apud litteratos, qui scripta ejus plurimi faciunt. nec vero dignitate minus olim floruit, infulas Beneventanas adeptus, et apud Venetos sub Paullo III. Pont. max. legatione functus. obiit Romae pridie idus Novembres an. M.D.LVI. quum annum ageret LIII. opera ejus omnia voluminibus quatuor quadrantariae formae comprehensa Venetiis prodiere an. M.DCC.XXVIII.

VI. CVCCHIVS Isidorus Clarensis, qui et Clarius, quod nempe patria ejus Clarae et Clarium appellata, regni Italici urbs, Bergomatibus, Cremonensibus et Brixianis finitima. in hoc viro multae virtutes fuere, magna sacris in litteris eruditio, plurimum eloquentiae. sed amoeniora quoque studia Monachus Cassinensis coluerat, ut epistolae ejus Mutinae vulgatae declarant. Pontifex Fulginatium renunciatus impositi muneris partes obivit praeclare. decessit IIII. kal. Iun. an. M.D.LV. v. Vghellum Ital. sacr. vol. I. p. 770.

VII. CVNICHIVS Raimundus S. I. Ragusinus, vir antiquae simplicitatis et morum suavissimorum. hic Graeca semper cum Latinis conjunxit, ac poësim adamavit unice. Iliadem huic debemus versibus valde bonis Latine redditam, item Theocritum ac pleraque ex Anthologia. epigrammata etiam reliquit permulta, quae post excessum ejus Parmae edita sunt. Rhetor in urbe fuit annos amplius quadraginta, cujus e ludo clari

disciplinae ejus alumni prodiere. Mortuus est Romae x. kal. Decembr. an. M.DCC.LXXXXIIII.

VIII. FASCITELLUS Honoratus, cui patria Aesernia fuit in Samnio ad Vulturnum sita. quum Monachus esset Cassinensis, ad Pontificatum Insulanum pervenit, quo nomine inter Patres Tridentinos cietur. sed mox eo se honore abdicavit, vixitque Romae ad an. M.D.LXIIII. opera ejus Neapoli Meola vir doctus vulgavit, multis in lucem editis, quae nemo antea viderat. carmina tamen ejusdem nonnulla reperit ac publicavit nova Franciscus Xaverius Gualtierus, is, qui nunc Aquilanam Ecclesiam sanctissime regit: quae Neapoli prodiere post Viti Mariae Giovenazzii poëmata an. M.DCC.LXXXVI. sunt autem omnia, quae Fascitellus scripsit, elegantiae plena et leporis.

VIIII. FLAMINIUS M. Antonius Forocorneliensis, vir multarum litterarum, sed Latina in primis poësi illustris, idemque principum virorum amicitiis clarissimus: mores autem ejus ac pietatem multi celebraverunt. vitam autem non ultra annum quinquagesimum secundum perduxit, elatus Romae XII. kal. Martias an. M.D.L. vide carminum ejus editionem Cominianam et Tiraboschium Hist. Litt. T. VII. P. III. p. 258.

X. FONTANA M. Publius Paloscensis, natus an. M.D. XXXXVIII. carmina ejus venusta omnino et concinna congessit vulgavitque Serassius Bergomi an. M.DCC. XXXXII. iisque auctoris vitam praeposuit a Furietto perscriptam: qui Publium a patre Clarium deductum esse tradit, ut Graecas litteras in Lyceo nostro edisceret sub Petro Rossio: eundem deinde Brixiae gravioribus disciplinis operam dedisse. Fuit autem medicinae etiam studiosus, herbarumque cognitione mirifice delectatus est: sed poësim prae ceteris coluit, summorum poëtarum laudem aemulatus. quumque in patria Ecclesiae Laurentinae Rector factus esset, sic clarorum virorum amicitias officiis prosequutus est, ut populi sui institutionem nunquam negligeret. e vivis excessit an. M.DC.VIIII.

XI. GIOVENAZZIVS Vitus Maria Neapolit. paucis ante annis Romae defunctus. hunc aevo nostro Grammaticorum principem ex veterum sensu non immerito dixeris: in quo acerrimum ingenium, sincerum ac subtile judicium, praeclara eruditio atque doctrina inventa sunt. multa scripsit, quorum nonnulla alieno nomine prodierunt. commentarii de Aveja in Vestinis, opus egregium, et fragmentum Livianum ejus nomine Romae edita: carmina vero Neapoli an. M.DCC.LXXXVI. quae Latinae venustatis plurimum habent.

XII. LANZIVS Aloisius S. I. Vlmodonensis ortu, idemque honoris caussa in splendidissimum Iguvinorum ordinem cooptatus, aetatem nostram ornavit, remque litterariam vehementer auxit. Florentiae jamdiu incola, monumentorum veterum festiva copia usus, quantum item alibi est artium bonarum peregrinando novit atque perdidicit. Museum regium summatim exposuit libello disertissimo. eidem debemus quidquid de Etruria veteri deque Italiae antiquissimae vestigiis jam scire datum: quae ille omnia tribus voluminibus, doctis oppido et laboriosis comprehendit. libros etiam de pictorum scholis ab eo habemus iterata jam editione probatos: Inscriptiones item et carmina, quae nuper in lucem emisit, culta omnia, et naturali, non fucato nitore pulcra. ultimum opus ejus Hesiodus illustratus. decessit Florentiae pridie kal. Apr. an. M.DCCC.X.

XIII. MAROTTVS Iosephus S. I. domo Cosis, Latine idem et Graece apprime eruditus. hic Pio VI. Pont. max. exsulanti comes perpetuo fuit, deinde Pio VII. Adjutor ab epistulis ad Principes. orator autem probabilis, poëta elegans habitus est, quaedam porro ejus scripta Romae edita, quum Rhetor ibidem esset, eoque munere magna cum laude fungeretur. diem obiit supremum IIII. kal. Febr. an. M.DCCC.IIII. quum esset ipse annorum LXIII.

XIIII. MORCELLVS Steph. Antonius S. I. patria Clarensis ejusdemque Ecclesiae Praepositus. vivit, et

quod Lyceo nostro Censoria olim potestate praefuerit, libelli quoque hujus emittendi auctorem se professus est, quo epheborum ejus eruditioni consuleretur. ab ipso sunt jam ab anno M.DCC.LXXXI. Libri tres de Stilo Inscriptionum Latinarum excusi Romae, quos aetas nostra probavit (1). exstat etiam volumen ejusdem hoc titulo, Inscriptiones commentariis subjectis (2): item Sermonum Libri II (3). quartum opus est Kalendarium Constantinopolitanum, quintum S. Gregorius Agrigentinus Graece et Latine. sextum erit Deo adnuente Africa Cristiana, quod ultro pollicitus olim est (4).

XV. NAVAGERIVS Andreas Venetus. hunc oratoribus claris et criticis diligentissimis comparare licet. sed inter poëtas aetatis suae facile princeps haberi possit: qui pauca quidem scripsit, sed pure omnino et Latine, neque hoc solum, sed ut Graecorum numeros et venustatem aemularetur. annum quadragesimum septimum vix attigerat, quum eum legatione Gallica fungentem mors oppressit VIII. idus Martias an. M.D.XXVIII. vide operum ejus editionem Cominianam.

XVI. NICOLAIVS Alfonsus S. I. Lucensis. diu hic Florentiae cum laude versatus est: ibidemque praeter praeclaras orationes, sacrarum litterarum egregius interpres et atheorum exagitator, multa vulgavit commentaria in plerosque libros divinorum scriptorum erudita plane et eleganti stilo exarata: quae omnia vernaculo sermone constant. Latina vero ejus carmina aliquot leges post Rotii opera editionis Comianae. Florentiae eum defunctum accepimus an. M.DCC.LXXXIIII.

(1) iterum edit. voluminibus duobus Patavii an. 1818.

(2) iterum edendum tertio loco Patavii; at quarto loco jam editum ibidem ejusdem ΠΑΡΕΡΓΟΝ an. 1818.

(3) editio iterata et aucta Brixiae an. 1814.

(4) edita Brixiae an. 1816.

Ejusdem etiam auctoris sunt opuscula duo *Agapea* et *Michaëlia*, ac quae nunc simul eduntur Brixiae asceticorum volumina tria sermone vernaculo, et alia quaedam hujusmodi.

XVII. PETAVIVS Dionysius S. I. Aurelianensis. hic vero cui sit ignotus? quum famam sibi immortalem praeclaris cujusque generis scriptis pepererit. Theologus enim idem magnus et Mathematicus et Criticus fuit: idem et orator et poëta, lusitque et Graece et Latine perbene. opera ejus poëtica uno comprehensa volumine. Parisiis prodiere an. M.DC.XXXXIII. multis autem pro Ecclesia Catholica exantlatis laboribus obiit Parisiis III. idus Decembr. an. M.DC.LII. quum esset annorum LXX.

XVIII. RAPICIVS Iovita Clarensis natus est an. M. CCCC.LXXXVI. atque in patria sua sub Oliviero praeceptore tirocinium posuit litterarum. quum autem ingenio praestaret, et in bonarum artium studiis plurimum profecisset, a multis civitatibus expetitus, Bergomi in primis et Vicetiae et Venetiis ludum aperuit dicendi, multosque eloquentia informavit. porro oratorem eum, rhetorem, poëtam minime vulgarem fuisse, imo vel cum primis comparandum, ex iis, quae scripsit, facile agnoscas. scripsit autem complura, quae Ludovicus Riccius Ecclesiae nostrae Canonicus in Commentario suo Rapiciano, quod Ticini prodiit an. M.DCC.LXXXX. diligentissime conquisita recensuit, egregia etiam de eodem monumenta complexus, quae legisse intersit. vixit Rapicius annos LXXVII. menses VI. diem I. obiitque Venetiis an. M. D.LIII. XVII. kal. Septembr. cujus funus publica laudatione et poëtarum versibus Graecis Latinisque honestatum est.

XVIIII. ROBERTIVS Ioan. Baptista S. I. domo Bassano. hic Bononiae potissimum magna cum laude virtutis atque doctrinae versatus omnium sibi amorem conciliavit. fuit autem elegantis ingenii vir et urbani leporis atque singularis humanitatis. opera ejus, quae voluminibus octo continentur, et vernacula pleraque lingua scripta sunt, Bononiae edi coepta ab an. M DCC.LXVII. ipse decessit an. M.DCC.LXXXVI.

XX. SABAEVS Faustus Clarensis. hic a ludo atque

pueritiae disciplina magnum aliquid sperare ausus, Romam profectus est: ubi ab adolescentia laudem sibi ac dignitatem ingenio scriptisque peperit. itaque a Leone X. Pont. max. Bibliothecae Vaticanae Custos praepositus, eodem munere protinus sub Pontificibus maximis sex pro rerum magnitudine perfunctus est. primus autem Arnobium et Minutium Felicem Romae vulgavit an. M.D.XXXII. ejus vero Epigrammata, quae Regi Galliarum Henrico II. dicata sunt, prodiere item Romae an. M.D.LVI. ipse demum excessit e vita an. M.D.LVIII. vide, si vacat, Quirini Card. Specimen litter. Brix. P. II. p. 167. plura dum emittat scriptor diligentissimus Iacobus Gussagus in Bibliotheca Clarensi, quam adornare nuper atque instituere coepit.

XXI. SANNAZARIUS Iacobus, qui et Actius Sincerus Neapolitanus. hujus clarum adhuc ubique nomen inter poëtas: qui Graece Latinique doctus antiquum reddidit leporem, et Italicam poësim ausu novo exornavit. culpandos tamen in eo est prae ceteris, quod vir gravis, quae augustae religionis sunt, saepe pertractans, fabulas veterum cum sacris nostris miscuerit, easque perinde habuerit, ac si nihil a veritate abhorrerent. porro in Galliis aliquando versatus, Neapoli tamen mortuus est an. M.D.XXX. vide editionem operum ejus Cominianam.

XXII. VIDA Hieronymus Cremonensis, quem Leo X. Pont. max. propter virtutem ejus et doctrinam summo in honore habuit, familiae adscriptus Canonicorum Lateranensium Pontificatum Albanum consequutus est. quum multarum litterarum gloria floreret, poësim idem maxime adamavit et coluit. nec tamen aut Ecclesiae suae defuit aut patriae, officiis cumulate redditis, quae debebat. defunctus est Albae V. kal. Oct. an. M.D.LXVI. vide editionem poëmatum ejus Cominianam. carmina autem bina, quae nondum edita erant, reperies in Cremonensibus Monumentis Vairani P. II. p. 36.

xxiiI. ZAMPIERIVS Camillus Forocorneliensis, summus aevi nostri poëta, idemque optimus paterfamilias et patriae suae quam studiosissimus. quum principum virorum gratia polleret, quos sibi morum suavitate et animi virtute devinxerat, Deo tamen et sibi ac liberis vixit, nec alia praeter poësim oblectamenta curarum et solatia habuit. carmina ejus dulcia atque jocunda, quae Bassanus in primis atque Robertius magnis saepe laudibus exornarunt, simul denique omnia Placentiae prolata in lucem sunt an. M.DCC.LXXI. vixit ipse ad an. M.DCC.LXXXIIII.

xxiiiI. ZANCHIVS Basilius Bergomas, Canonicus Ordinis Lateranensis, Romae diu versatus, et Bibliothecae Vaticanae post Sabaeum nostrum Custos a Paullo iiiI. Pont. max. renunciatus. hunc Paullus Manutius poëtam summum hominemque non vulgariter eruditum appellat. obiit in urbe pridie kal. Febr. an. M.D.LX. videsis editionem operum ejus Bergomensem a Serassio adornatam an. M.DCC.XXXXVII.

XXV. ZANOTTVS Franciscus Maria Bononiensis, optimis aevi nostri poëtis non impar, et ab eruditione et doctrina plurimum commendatus. carmina ejus Florentiae in lucem emissa an. M.DCC.XXXIIII. Robertii autem epistulae ad ipsum, quae volumine ejus quarto leguntur, vel solae declarant, quantus iste vir fuerit. e vivis autem praeclaro exitu abivit an. M.DCC.LXXVII.

ELECTORVM

LIBER I.

QVI EPIGRAMMATA EXHIBET

EX VTRAQVE COPIA

VETERVM ET RECENTIORVM POETARVM

PARTITIONIS CAPITA OCTO

CONTINENTVR.

Primo

DEDICATIONES

Secundo

VOTA

Tertio

GRATVLATIONES

Quarto

TITVLI

Quinto

ELLOGIA

Sexto

EPITAPHIA

Septimo

DOCVMENTA

Octavo

LVSVS

Absit, ut in ore Christiano sonet
Iupiter omnipotens et me Hercule
et me Castor *et cetera magis portenta*
quam nomina.

Hieronymvs epist. xxI. n. 13.

QVOD BONVM FAVSTVMQVE SIT,

Institutionem hic quamdam tironibus exhibere in animo fuit epigrammatum pangendorum. idcirco sic dividi ea oportebat, ut formae ipsorum quasique species dignosci possent. octo autem posuimus, ne extra modum prodiremus.

CAPVT I.

DEDICATIONES

Dedicare *Latinis est, ut Grammatici norunt, idem atque* Ostendere, Dicendo deferre, Consecrare, Inscribere, Incohare. *nomen autem huic capiti dedimus* Dedicationes, *quod ea hic epigrammata comprehendimus, quae verbi hujus vim aliquam referrent. et Graecos porro et Latinos pleraque versibus dedicasse, nemo inficiari possit. vide Bonadam vol. I. classe I.*

I.

Libri inscriptio ad Plinium jun. missi

Dum mea Caecilio formatur imago Secundo,
Spirat et arguta picta tabella manu;
I liber ad Geticam Peucen Istrumque tacentem:
Haec loca perdomitis gentibus ille tenet.
Parva dabis, caro sed dulcia dona sodali;
Certior in nostro carmine vultus erit.

Sunt haec e Martiali lib. vII. epigr. LXXXIII. quem Caecilium Secundum appellat, is est, qui Plinius junior dicitur, quod eum senior Plinius adoptarit, quum sororis filius esset, Novi Cominatus C. Caecilio patre. quare ex veteri consuetudine C. Plinium Caecilianum eum vocari par erat: sed novus jam mos obtinebat.

Formatur imago. nempe imaginem suam Martialis, quia nondum a pic-

tore absoluta erat, ad Plinium mittere quum non posset, librum pro ea, qui imaginis vice fungeretur, ire ad eum jubet Peucen usque, quae magna insula est ad ostia Istri placide in Euxinum influentis. ea quippe tum loca Plinio parebant, quod Bithyniam et Pontum proximas provincias Legatus Caesaris administraret.

Perdomitis gentibus: nihil haec ad Plinium, qui tribunus quidem militum adolescens fuerat, sed nunquam cum imperio exercitum duxerat. Pompejus jam eas regiones aliique subegerant.

Certior in nostro. Scriptores utique in libris suis se ipsos fere produnt, et animum moresque suos vel inviti declarant. at in Martialis scriptis qualem eum Plinius agnoscere debuerit, vir gravis, nec solum gestis magistratibus, sed doctrina etiam et eruditione clarus, qui carmina illius pleraque legerint, facile dijudicabunt. Distichon autem, quod sequitur, supervacaneum habeto.

II.

Libellus amico nuncupatione oblatus

Si cuiquam, Iosephe, in me conlata benigne
Obstrinxere magis me officia atque magis;
Non quisquam (sancti sic mutua foedera amoris
Perpetuo inter nos sartaque tectaque sint)
Non quisquam est, tibi quem merito praeponere possim:
Quamquam est istorum copia nec minima,
Nec multum de me non pro se quisque mereri
Et voluere, et sunt vero etiam meriti.
Hoc tibi testatum Vitus vult, alterum et illud,
Se tibi quando ipsum pene animum atque animam
Debeat, indocti dum munera parva libelli
Mittit, mittere in his ipsum animum atque animam.

(II.) Numerus hic tibi indicat, quo loco epigrammatis auctor quaerendus sit superius, ubi de singulis actum est, qui huc symbolam contulerunt. ἀνέκδοτον autem esse memineris, quum unde sumptum fuerit, non additur. hoc porro leges in auctoris libello p. 1. qui Iosephum Mazzolarium appellat patria Pisaurensem S. I. cui et Mariano Parthenio nomen, Latinum aevi nostri oratorem atque poëtam egregium, cujus

opera Romae edita sunt an. M.DCC.LXXII. ipsum autem epigramma totum est Catullianum.

Sartaque tectaque. de operibus publicis praecipue dictum, quae Aediles fere sarta tecta praestare, id est tueri aut integra exigere debebant. ceterum translate Plautus (Trin. 2. 2. 36.) *Sarta,* inquit, *tecta tua praecepta usque habui mea modestia.* v. et Tull. l. XIII. Fam. ep. 50.

Animum atque animam. distinxit et Cicero, qui de Apronio Verris amico ait, hominem eum esse vix liberum, contaminatum, perditum, flagitiosum, *qui non modo animum integrum, sed ne animam quidem puram conservare potuisset* (act. II. l. 3, c. 58.) animus nempe est, quo immortales sumus, anima vero spiritus atque halitus, quem ore accipimus reddimusque.

III.

De editione operum S. Gregorii Agrigentini

Huc Agrigentinae, precor, o pater inclyte gentis
  Gregori age, ad nostram flecte vocatus opem:
Flecte acies geminas, tua dum tractamus, et almi
  Mirum opus audemus promere consilii.
Invida si tenebris multorum in damna Vetustas
  Obruerat, veterum nec saturata bonis:
Adfueris modo, jam nostro tua scripta labore
  Vivent, omnigenis usque probata viris;
Quodque cupis, caelo dum regnas, spernere terram
  Divino hi discent edomiti eloquio.

(XIII.) Exstat in Gregorio Agrigentino post praefat. p. 3. quod opus prodiit in lucem Venetiis an. M.DCC.LXXXXI. vivebat autem Gregorius hic aevo Gregorii magni Pont. max. quemadmodum in προλεγ. ostensum reperies p. cxI. et quamquam ad Latinam Ecclesiam pertinebat, Graece scripsit, cujus rei caussa explicatur p. cxxvI.

Invida si tenebris. latuerat nempe Codex iste in Bibliothecis per omnes aetates, primusque Possinus invenerat descripseratque: nec tamen aut vulgaverat, aut Latine reddiderat.

Edomiti. totus enim est Gregorius in avocandis animis a rerum caducarum amore, Ecclesiastae fidus interpres, qui vana omnia esse terrena inculcavit.

IIII.

De templo maximo Brixianorum

Brixia perfectum, seris mirabile saeclis,
  Quod tibi pollicita est, alma Dei Genetrix,
Stat bis centum opus annorum: fastigia cives
  Suspiciunt summo vasta nitere tholo.
Hancce pii molem conati educere caelo
  Majores, paribus nec tamen illi opibus.
Moliri hoc ausos sit eorum gloria prima;
  Extremam nostra est imposuisse manum.

(XIIII.) *Genetrix:* ita scribendum reor; nam sic legas in Liviae nummo apud Spanhemium, (Diss. 12. p. 451.) sic in Auctoritate centumvirorum Vejentium apud Fabrettum, (p. 170, n. 324.) nec dissentiunt Horatii et Virgilii veteres codices.

Stat de rebus dedicatis apte usurpatur, ut ab Horatio *aeneus ut stes,* (Sat. III. l. II. v. 183.) et *Nudus in Tiberi stabit.* (ibidem. v. 291.) item a Virgilio de tropaeo, *Nunc stares immanis truncus in armis.* (Aen. l. XI. v. 173.)

Bis centum. lapidem templi hujus auspicalem posuit Georgius Pont. an. M.DC.IIII. (v. Zamboni Mem. p. 126.)

V.

De cella Michaëliana in suburbio Clararum

Quae tibi nunc vario fulget sacra marmore cella,
  O Michaël, domito dux metuende Erebo:
Hanc primum mulier pia condidit, hancque clientes
  Dein studio ornantes excoluere tui;
Vt sibi nimirum praesens, ut civibus idem
  Mortis in ambiguo limine adesse velis.

(XIIII.) *Erebo*: in hac voce nihil cogites fabulosum. pro ipsis Inferis vel a Christianis usurpatam invenias: ac merito, nam illud sonat vox

ipsa, quae ab *ερεφο tego:* unde *ερεβοθεν e tenebris.* addit Iustinus Philosophus, (Apol. iI. p. 92. edit. Paris.) ne Moysen quidem verbo abstinuisse: *Και το καλȣμενον Ερεβος παρα τοις ποιηταις, ειρεσθαι προτερον ὑπο Μωσεως οιδαμεν.* quamquam mihi vocabulum hoc apud Trommium quaerenti reperire non licuit, quum ille tamen in recensendis septuaginta Interpretum vocibus diligentissimus habeatur.

vI.

In honorem Nazarii Martyris

Natali quod, dive, tuo lucem editus hausi,
  Quod tua nascenti lux mihi prima fuit:
Actius hoc riguo parvum cum fonte sacellum
  Dedico; tu nutu fac rata vota tuo:
Vt quae sextiles lux venerit ante kalendas
  Quarta, sit hic generi bis celebranda meo,
Et quod sollemnes revocat tua festa per aras,
  Et quod natalem contigit esse meum.

(xxI.) *Dive:* hanc vocem adjectivam habeto pro *sancte:* hoc pacto Martyri convenire dixeris, quemadmodum et Prudentius scripsit *Diva caro*, (in Psycomach. v. 76.) et ante eum Naevius *Res divas edicit.* (apud Nonium c. iiI. n. 45.) nam si substantivum esset, omnino rejiciendum foret. nempe si veteres Grammaticos audias, *Divi* olim Dii erant sive perpetui, sive ab hominibus facti. neutrum autem Christianus de homine ullo affirmare potest.

Sacellum: privatam aediculam intellige ex iis, quae secus viam, aut in triviis videre est. *Sacella,* inquit Festus, *dicuntur loca Diis sacrata sine tecto,* addit Trebatius, *cum ara,* (apud Gellium l. vI. c. 12.) propterea leges a Propertio scriptum, *Flore sacella tego.* (l. iiiI. eleg. iiI. v. 57.)

Quarta. natum se Actius declarat die Nazario Martyri sacra: quam nempe Latini dicebant iiiI. kal. Augustas sive Sextiles, eamque idcirco duplici laetitiae significatione coli volebat. porro idem Actius hymnos reliquit binos de laudibus praeclari hujus Martyris, quorum prior in editione Cominiana carminum ejus xI. alter xx. est. hoc autem epigramma invenies p. 163.

vII.

De donario Agape Martyri sacro

Tres tibi pulcro, Agape, suspendimus ordine lychnos,
Quisque tibi ut triplici fulgeat igne sacer:
Qui medius splendet, partam olim sanguine palmam
Indicat, et meritum Martyris obsequium.
Alter at adventum memorat faustumque triumphum,
Advena quum nostro es sera recepta solo.
Tertius optatae testis quod reddita sedi
Incola nos prece, nos auxilioque juvas.

(xiiiI.) Sacras Martyris hujus Reliquias religiosissime colunt Clarenses jam ab anno M.DCC.LXXXXVI. Roma receptas, quae in Basilicae hypogeo sub altari conditae sunt. vide infra lib. iI. cap. iiI. n. 4.

viiI.

De Gabriele Rangonio Cardinali

Rangoni venerande, sacro spectabilis ostro,
Sed mage virtutis pulcher honore tuae:
Hoc tibi Clarenses simulacrum ex aere dicantes
Mnemosynon statuunt non tibi, sed patriae:
Nempe impar meritis donum est; at civibus aptum,
Exempli ut subeat quid prior edideris.

(xiiiI.) De hoc summo viro fusius disserit, multaque ac praeclara congessit auctor Bibliothecae Clarensis, quam cupide expectamus.

Mnemosynon. vocem hanc Catullus carmine xiI. usurpavit primus, et Latinam fecit: quamquam codices quidam veteres Graecis scriptam litteris habent. ea monumentum sive memoriam designat.

Sed patriae, Clario scilicet, indigenis olim magis, quam aedificiorum molibus aut murorum amplitudine illustri, quod prima illa aetate nec colonia nec municipium jure appellari poterat: Praefecturam aut Forum aut Conciliabulum veteres dixissent, ut in lege Mamilia leges apud Goesium (p. 339.) vide et Mazzochium (Tab. Heracl. p. 393.)

VIIII.

Tropaeum libertate recepta

Quod spectas, hospes, parta jam pace tropaeum,
Testem id divini noveris auxilii.
Namque unus diri post tot discrimina belli
Hoc poterat miseris porrigere Omnipotens,
Et majus voluisse putes: jam quippe negabant
Deberi hoc nobis heu scelera auxilium.

(XIIII.) *Tropaeum*, quod rectius Graeco more sine adspiratione scribitur, victoriae monumentum est et hostis depulsi: interdum ipsa victoria eo nomine significatur, aut certe quod insignis facti indicio prostat.

X.

Alconis venatoris donarium

Vt pater immanem spiris ingentibus anguem
Vidit gnati Alcon artubus implicitum;
Nulla mora, intenditque arcum, telumque volucre
Ora manu certa fixit in ipsa ferae:
Nec puerum ferro laesit lethalis arundo,
Sit licet extremam stringere visa cutem.
Nunc arcum et pharetram suspendit ab ilice, ut artis
Fortunaeque una sint monumenta suae.

(VII.) Expressit auctor e Greco Getae, quod Anthologia habet libro VI. cap. XI. epigr. 3. huic Alconi non impar, nec minori usus felicitate Privernas ille Metabus apud Virgilium, (Aen. l. XI. v. 539.) regno profugus cum Camilla infante: qui aquis Amaseni exundantibus, quas ipse innare paratus esset, quia caro oneri metuebat, filiolam subere inclusam hastae circumligavit, hancque librans, et usque in ulterioris ripae cespitem immittens, eam servavit, incolumemque recepit.

CAPVT II.

VOTA

Votorum *non una apud veteres significatio fuit. nam et supplicationem interdum designabant, et obligatam fidem, et promissa persoluta, et ipsam expectationem aut desiderium cujusque. itaque illa passim occurrunt,* Vota facere, Vota nuncupare, Vota suscipere, Vota reddere, Vota persolvere, Vota debere. *quae igitur epigrammata hujusmodi aliquid innuerent, singula huic capiti adscripsimus. lege vero, sodes, quae de toto hoc argumento habet Eckhel in praeclaro opere de doctrina nummorum (vol. VIII. p. 483.)*

I.

S. Philippo Nerio

Dum tua, sancte senex, agitantur festa per agros,
Haec tibi dona fero pauca, sed ex animo:
Non quod tam largos caelo demiseris imbres,
Quum misere arentes finderet aestus agros;
Non quod saepe meos praesens defenderis agnos,
Quum pecudes passim dira lues raperet:
Sed quod crudeli quum jam jam tabe periret,
Per te Damoni vita meo rediit,
Damoni tenero, cui dum sua vita rediret,
Ipsi etiam mea tunc vita mihi rediit.

(XXV.) Occurret in auctoris libro p. 106. nec mirere, vota vel sanctis Caelitibus nuncupari: ea majorum quoque nostrorum consuetudo fuit, quam egregie asseruit Trombellius. (de Cultu Sanctorum Diss. VI. c. 35.) vide etiam Odericium (Diss. et Syllog. Inscr. p. 268.) pastoris autem verba sunt susceptum votum solventis, et acceptorum beneficiorum maximum comparatione designantis.

Cui dum sua vita rediret. non differt a Terentiano illo dicto, *Istoc verbo animus mihi rediit.* (Hecyr. Act. III. Sc. II. v. 12.) Plinius quoque junior scripsit, *Redit animo ille latus clavus.* (lib. VIII. epist. 23.)

II.

S. Stanislao Kostkae

Stanislaë, meus Zanottus quid sibi de te
Speret, in ipsius tute vides animo.
O tibi quod sperat, quamprimum debeat! id si
Feceris, etsi unus dona tua excipiet,
Non unus tibi debebit: me me quoque habebis
Obstrictum aeterno, dive bone, officio.

(II.) Exhibebit tibi auctoris liber p. 24. illud *O tibi* optantis est vel quum *Vtinam* non additur, ut apud Virgilium non semel.

III.

Pro Federico Cardinali Mantuano

Vrbs tibi, quam vitreis circumdat Mincius undis
Pro juvene, o Virgo, plurima vota facit,
Pro juvene, ad summos qui dum contendit honores,
Virtutis semper tramite currit iter:
Cui non ambitio, non splendor divitis auri,
Cui non perstrinxit lumina mentis amor:
Quo magis ex animo nullus tua numina adorat,
Quum spargit sanctos thuris odore focos.
Sancta veni, triplici stellarum incincta corona,
Sancta veni, sacris huc comitata choris,
Et revoca diro Fede.icum a limine mortis,
Cui jam jam saevas injicit illa manus.
Ipsa potes, quodcumque rogas, tibi rector Olympi
Annuit, ille tibi Filius atque Pater.

Multa tuo in templo suspendet Mantua dona,
Et referet laudes multa tabella tuas.

(iiiI.) Habes in editione Romana p. 4. Erat autem hic Federicus Federici Gonzagae Ducis Mantuae filius posthumus, qui sub tutela creverat Herculis patrui Cardinalis et Pontificis Mantuanorum, dignus a Pio iiiI. Pont. max. habitus, qui in patrui clarissimi locum succederet vel adolescens. at eum mors annum agentem vicesimum quartum praeripuit an. m.d.lxv. vide quae de eo Ciaconius scripta reliquit t. iiI. p. 943.

iiiI.

Donarium Paullo Apostolo

Quae duo stant auro fulgentia et aspera signis
Candelabra tui, Paulle, decus tumuli,
Longum haec post desiderium tibi Roma recepto
Dona Pio lati dat memor auxilii:
Vt dum perpetuo lucebunt igne, perennem
Cum populo Princeps experiatur opem.

(xiiiI.) Leges in auctoris libro Inscript. p. 401. haec porro ad annum pertinent m.dcc.lxxxiI. quo anno Pius vI. Pont. max. e Germania redux Romam idibus Iuniis ingressus est.

v.

Pro Archiepiscopi Florentini valetudine

Seu nunc, o formosa Salus, tenero legis ungui
Paeonia Etruscis gramina verticibus,
Seu nunc rore levi vitales elicis haustus,
Dictamnum flamma pingue liquefaciens,
Diva, veni: egelidi dum captat munera ruris
Praesul, semotis et vacat in latebris.
Et si vis vitam atque animam debere tibi nos,
Aut si quid vita est carius atque anima,

Relliquias aufer morbi: namque omnibus ille est
Et pater et vita carior atque anima.
Crede mihi, propera: nostra tibi stabit in urbe
Gratia, nec de te fama tacebit anus.
Et ruris nos primitias cum thure feremus
Annua sacratis munera liminibus.

(xvI.) Editum inter Rotii carmina p. 83. edit. Comin. *Formosa salus* Virtus divina est, quae ad sanandos aegros humanis subsidiis utitur, poëtae menti tamquam virago oblata. nec gramina Paeonia nisi ad Paeonem insignem medicum pertinent, aut ad Paeoniam regionem, quam Plinius Macedoniae finitimam facit. (H. N. l. IIII. c. 10.)

Praesul. id nomen vix probarem: quod ea fuerit principis Saliorum appellatio. quia tamen Latini aliquot sequioris aevi usurparunt, ut praesides quosque indicarent, ferendum videtur.

VI.

Votum redditum

Quae modo marmoreis aedes innixa columnis
Musivo et pulcris enitet a statuis,
Hanc memores diae merito posuere Parenti
Servatae diro a funere Romulides.

(xIIII.) Extat in lib. de Stil. Inscr. p. 400. *Musivo*: sic veteres appellabant opus tessellatum e sectili lapide ad pavimentorum et camerarum ornatum, picturas omnis generis referens, quas nulla aetas delere possit. vide Furietti librum egregium de Musivis.

Romulides. qui Graecas litteras ignorant, iis Romulides videntur esse Romani. atqui *Romulidae* hi sunt dicendi secundum primam Graecorum declinationem; *Romulides* vero Romanae secundum quintam: ut apud Virgilium Iliadae sunt Trojani, Iliades contra Trojanae. lege de re hac quae scite adnotavit Bentlejus ad Serm. Hor. 1. l. 1. v. 100.

VII.

De fama Idmonis periclitante

Intemerata Fides, sancti germana Pudoris,
Tuque Honor et nudae simplicitatis Amor,

Si teneris Idmon coluit vos semper ab annis,
Et mens a turpi crimine pura nitet,
Vos juvenis famam praesenti arcete periclo,
Et facite illa magis splendeat atque magis.

(xiiiI.) Ex auctoris l. iI. n. xI. *Fides* etc. sic apud Prudentium *O Pietas, o sancta Fides*, (l. iI. contra Symmach. v. 502.) et Mater Castitas,(Cathem. xI. v. 74.) et Mater Virtus (Psychon. v. 12.) ipsi quoque oratores interdum Religionem tamquam humaua specie adloquentem inducunt.

viiI.

Dona virginum anilia

Tres aevo aequales, Virgo tibi sancta, dierum
Extremo parva in limine dona damus:
Fert Nice calathum plexo de vimine, comptam
Sedula, qua nevit fila, colum Arsinoe:
Vrsilla argutum radium, quo laeta laborum
Intexit ductis licia staminibus:
Te duce quod vitam probro sine vivere, victum
Quod licuit nostris sumere de manibus.

(xiiiI.) ex libro Inser. auctoris p. 401. non ingrata profecto ea munuscula magnae Dei Parenti esse oportuit, quae anus quidem pauperculae, sed tamen virgines dedicarent.

viiiI.

Margaritae virgini martyrique sanctae

Margarita, tuam, senium quam everterat, aedem
Vida tibi e Pario marmore restituit.
Pro qua si pietate ulla est ei gratia apud te
Parta, sacerdotem respice, diva, tuum.
Non aurum, non quos vulgus suspirat, honores,
Non longa in terris sit sibi vita, petit.

Verum illum sibi concilies, cui sanguine fuso,
Cui simul aeterna virginitate places.
Numen ut illius in morte experiatur amicum,
Illius inque piis sit pius usque choris.

(xxII.) Habes in auctoris editione Cremonensi p. 104.

Pro qua si pietate ulla est ei: istud *Ei* monosyllabon est per synaeresin. sic *Deinde* dissyllabon fit, et similia.

X.

De puero, qui visum recepit ex voto matris

Zane puer, quale admisti nec bimule crimen,
Febris utrumque tibi lumen ut eriperet?
Nil ego, et insontes nil peccavere parentes;
Quaesitum at sanctae sic decus est Agape:
Namque suburbana mater dum supplicat aede,
Illa meis tenebras dispulit ex oculis.

(xIIII.) legitur in tabella votiva, quam exhibet ad laevam Hypogeum Clarense Agape Martyri dicatum. *Nil ego etc.* vide caput nonum Evangelii Ioannis.

Sic decus est Agape dativus est casus, et sine diphtongo efferendus Graeco more. scribunt enim Graeci Αγαπη

Suburbana: in aede nempe Rocchiana mater supplicaverat, antequam inde Martyris corpus in urbem instituta pompa inferretur.

XI.

De puella, quae ex voto convaluit

Vicus ubi in laevum declinat proximus Austrum,
Quaerebat medicas aegra puella manus.
Anna olli nomen, misere cui triste tuenti
Squalor ubique aderat, flavus ubique color.
Implorata Agape vota audiit, heicque videndi
Reddita vis subito est, parta salus reduci.

(xiiiI.) haec item in altera tabula ejusdem Hypogei leguntur ad dexteram, atque e regione epigrammatis superioris.

Vicus ubi, is est, qui Castrum Covatorum appellatur, Annae puellae patria, et tria vix passuum millia a Claris abest, ad quas oppidani saepe se conferunt et negotiorum et sacrorum caussa.

xiI.

De Febronii palinodia ad Pium vI. P. M.

Sexte, Petri augusta narras dum laetus in aula,
  Quae tibi FebronI est littera scripta manu,
Excepit sacer admirans tua verba Senatus,
  Atque aliquis secum talia dicta dedit:
Clamasti errantem revocans, victorque reversam
  Laetaris merito nunc, bone Pastor, ovem.
Illius o utinam quae per vestigia pessum
  Ibant, aeque alias vox tua servet oves;
Nullaque sit, quae non docilis tibi pareat ultro,
  Te duce monstratas et velit ire vias.

(vII.) Reperies in auctoris libro iI. epigr. n. 12.

FebronI: Exstant Acta, in quibus recognoscere possis, quae hic poëta commemorat. ea vulgata Romae sunt an. M.DCC.LXXVIII. quae quantum bonos omnes laetitia affecerunt, tantum Ecclesiae hostibus molestiae moerorisque adtulere.

Pastor ovem. Christiana quidem et ab ipso Evangelio formula haec est, sed quae antiquis etiam ante religionis nostrae primordia in usu fuit. nam vel Homerus regem ποιμενα λαων saepe dixit, et apud Dionem inducitur Bato Dalmata Tiberium Augustum ac Senatum his verbis accusans: (lib. LVI. p. 582.) Επι γαρ τας αγελας ὑμων φυλακας ȣ κυνας ȣδε νομεας, αλλα λυκȣς πεμπετε: id est, *vos enim super greges vestros non canes aut pastores, sed lupos custodes mittitis*. atque huc etiam pertinet Tiberii Aug. dictum, qui Praesidibus onerandas tributo provincias suadentibus rescripsit, *Boni Pastoris esse tondere pecus, non deglubere*. (Sveton. in Tiber. c. 32.) pulcre igitur hic quoque metaphora procedit, nec caussa est, cur quisquam reprehendat, quasi verba quidem Latina sint, sententia non item. nec alia desunt hujusmodi ex ipso penu religionis nostrae, quae Latini veteres sua non minus agnoscerent et probarent.

XIII.

De vita aevi aeterni impetranda

Caelicolae magni, virtus si vestra labore
A nostro, et tenui crevit ab eloquio,
Auribus ut late posthac audita Latinis,
Orbi adeo toti pulcrior eniteat;
Vos gemina extremos servate volumina in annos,
Tempora ne laudes obterere ulla queant.
At mihi, namque hoc posse datum, prope culmina vestra
Efficite, oro, illic angulus obveniat:
Summa peto, meritis, fateor, nec debita: vobis
Sed majora itidem sunt data promeritis.

(XIII.) Reperies haec ad calcem Kalendarii Constantinop. T. II. p. 233.

Audita Latinis: auctor nimirum Graecum codicem Liturgicum saeculi octavi Latinum reddidit, et commentario perpetuo illustravit: itaque effecit, ut et nostris auribus accipere possemus, quae in eo de summorum virorum sanctitate celebrantur.

XIIII.

De editione novi operis

E tenebris rursum Romana quod Africa prodit,
Magnorumque redit gloria prima Patrum;
Relligio gaudet, laetantur corda piorum,
Et veteres Virtus optat adire domos.
Exoriare aliquis foedam qui pellere gentem
Inde ausus, tutum ferro iter expedias.

(XIIII.) Praeposuit haec auctor operi jam nunc edito, cui titulus *Africa Christiana*.

Exoriare aliquis: id vero in votis cui non sit aetate hac nostra, tot militaribus copiis ad eam expeditionem optime instructis, quae Saracenorum arma contemnere possint, et opimas regiones sibi et religioni vindicare!

XV.

Sollemnia Pentecostes

Dius Amor, caelo qui casta in pectora quondam
  Illapsus, sanctis ignibus enituit:
Bisseni ut Proceres flamma fulgente corusci
  Virtutem magni numinis induerent.
Scilicet una omnem quae mox diffusa per orbem
  Majorum tenebras dispulit ex animis:
Illa iterum in nostra adveniat nunc corda repente,
  Et sacro circum fulgeat igne caput;
Antiqua ut rursum virtus rectique piorum
  Iam mores redeant, jam nova saecla virûm.

(XIIII.) *Omnem quae mox diffusa per orbem.* divinitus factum accepimus, ut quo die Christiana primum Pentecoste Hierosolymis illuxit, probatissimi ex omni orbis plaga Iudaei adessent. ησαν, inquit Lucas (Act. App. c. II.) εν Ἱερȣσαλημ Ιȣδαιοι, ανδρες ευλαβεις απο παντος εθνȣς των ὑπο τον ȣρανον. quum autem ii potissimum Evangelium Apostolis magistris amplexi sint, atque exinde ad suos redierint, manifestum est, primam illam tot piorum Ecclesiam jam tum Catholicam verissime repertam esse, et eo nomine ab Apostolis in Symbolo quamprimum jam appellatam.

XVI.

De itinere Gallico Pii VII Pont. max.

Unde ferox diri erupit discordia belli,
  Et miserae infrendens Italiae incubuit,
Inde olea redimita caput Pax alma revisat
  Italiam, cunctis Pax bona terrigenis!
Et sperare decet: Patrem jam Gallia quaerit,
  Auctore hoc poterit reddere docta Pio.

(XIIII.) Iter haec primum designant Pii VII. Pax autem hic eo habitu inducitur, quo a Rege et vate maximo Iustitia et Pax se invicem osculantes memorantur, (Ps. LXXXIIII.v.II.) poëtico utique more: quemadmodum ceteras sibi virtutes mens nostra cogitatione depingit, ita et Pacem, cujus et

nomen dulce est, et res ipsa salutaris, nobis adumbramus, cujus nobis species pulcritudinis eximia quaedam in animo insidet, tamquam imago et similitudo bonorum, quae ab ipsa proficiscuntur. hanc vero fuse lateque ab Augustino descriptam invenies l. xvIIII. de Civit. Dei cap. 13.

xvII.

Curionis votum a morbo

Erepsi lecto atque domo fultus male talis,
Inque Dei potui templa venire pedes:
Hoc satis, o superi; namque omnis parta voluptas
Iam mihi, si populo rectus adesse queam.
Nae Podagra hoc boni habet saltem res pessima: postquam
Contudit articulos, lingua caputque valent.

(xIIII.) *Podagra res pessima*. Iustam appellavit Davus apud Horatium, (Serm. vII. l. II. v. 16.) quae soror hujus est, Chiragram: sed quod scurram Volanerium insignem aleatorem poena, quam meruerat, affecisset.

xvIII.

Pro perennitate Pontificatus D. N. Gabrii Mariae Navae

Munere de vestro, Superi, quando inclita gaudet
Iamdudum tanto Brixia Pontifice,
Vnus qui teneros ad grandia fingit alumnos,
Virtutis custos, altor et ingenii;
Vindice quo veterum floret doctrina parentum
Et viget ipsa adytis reddita Relligio:
Vos patriae servate, precor, pia dona, malamque
Invidiam, atque avidas hinc prohibete manus.
Bis meritas grates haec nostra fatebitur aetas,
Bis reddet duplici laeta patrocinio.

(xIIII.) *Bis meritas*. fuit nempe maximum Tutorum urbis beneficium, quod talem nobis Pontificem a Deo impetrarunt: alterum erit non impar, siquidem, finitimis eundem sibi Antistitem exoptantibus, avelli hunc, eripique nobis non patiantur.

CAPVT II.

GRATVLATIONES

Gratulatio *Latinis est non raro pro* Laetitia publica *aut* Gratiarum actione *aut* Supplicatione laeta. *publica item est ac privata, quae animorum jocunditatem voluptatemque verbis efferat, eumque, qui audit, permulceat et gaudio compleat. itaque vix sine laudibus Gratulatio esse potest: id enim est acroama, quod libentissime audimus. hinc jam nosti cujus sint generis, quae hoc capite continentur.*

I.

Ad amicum de editione scriptorum ejus

Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos,
   Et cultum docto pectore profer opus:
Quod nec Cecropiae damnent Pandionis arces,
   Nec sileant nostri praetereantque senes.
Ante fores stantem dubitasne admittere famam?
   Teque piget curae praemia ferre tuae?
Post te victurae, per te quoque vivere chartae
   Incipiant: cineri gloria sera venit.

Haec in Martiali leges lib. I. epigr. 26. at de amico ejus Faustino, quem saepe in carminibus suis appellat, historia silet, quemadmodum et de plerisque aliis, ad quos epigrammata scribit.

Cecropiae arces. Athenae indicantur a Cecrope conditae, a Pandione instauratae. hoc autem significare poëta voluit, Faustini opera Graecis Latinisque in pretio fore.

Chartae pro scriptis, quo nomine etiam quodlibet Chartarum genus designatur. vide, si vacat, Montfauconii Palaeographiam Graecam lib. I. c. 2.

iI.

De tragoedia Alfierii Com.

Salve Itali columen, salve o spes una theatri:
Stat tua, perpetuo stabit et Antigone.
Acta placet mire paucis spectantibus; at quos
Nemo non multis millibus anteferat.
Quos potis est numero quantovis vincere vulgus,
Non potis est vero vincere judicio.

(vII.) Invenies in auctoris lib. iI. epigr. n. 2. est autem Antigone tragoediae nomen etiam inter Sophocleas, eaque quarta. fuit Antigone filia Oedipi Regis Thebarum, quae patri coeco in exsilium acto viae dux fuisse dicitur. Alfierii porro inter tragicos poëtas praeclara fama non haesit ad metas.

iiI.

De scriptore vitae Rapicii

Et catus et sapiens liber est, quem divite vena
Sincerae promsit Riccius historiae:
Qui mores et scripta mei laudesque Iovitae
Rapicii puro praedicat eloquio;
Quique omni ornatus cultu longaque politus
Arte, nihil mëtuens torva supercilia,
Audet se diae concredere luminis aurae,
Iudicio tutus, docte Alearde, tuo.

(iiI.) Prodiit haec Rapicii nostri vita Ticini an. M.DCC.LXXXX. auctore Ludovico Riccio Curione Canonico Ecclesiae nostrae, a quo dicata est Camillo Aleardo Bergomati Can. Diac. principis templi, viro multarum litterarum, quem in ipso aetatis flore mors intercepit. de his legito Riccii epistolas xiI. xxviI. xxxviI.

iiiI.

De scriptis Aloisii Lanzii

O carum Lanzi caput, an te digna rependat
Quantum doctorum floret ubique hominum?

Debebat vel multa olim Florentia, per te
Gaza illa cupidos explicita ante oculos:
Iam quid pro meritis tribuant Etruscus et Vmber
Linguarum atque aevi vindici et historiae?
Tota etiam Ausoniae dudum est obstricta juventus,
Te duce Apelleae quod tenet artis opes.
An titulos aequus taceam, queis funera regum
Ornata, aut procerum splendida facta vigent?
Graecia restabat, quae jam te norat amicum:
Haec comptum accepit dona tua Hesiodum,
Majus at hoc, quod nempe, senex doctissime, post te
Nil nisi perfectum linquis et eximium.

(XIII.) Opera hujus, qui elegantissimos inter scriptores eosdemque eruditissimos censendus est, superius memoravimus, ubi de epigrammatum horum auctoribus actum est.

V.

De sodalibus novis Eucharisticis Eccl. Clar.

Pulcrior albati procedite turma sodales,
Dia Parens Nati quos dicat obsequiis.
Quam bene caerulei abs humeris gestantur amictus.
Emicat et sancti tessera servitii!
Ista choris socios caelestibus inserit, illi
Portendunt, caelo quae manet apta chlamys.

(XIIII.) Erant hi primum Sodales Mariani, qui deinde Eucharistici facti sunt, albam istorum togam penula circa humeros obnubit caerulea, hanc divini Sacramenti insigne decorat.

VI.

De Sacerdote primitus sacrum faciente

Iuli Parthenios inter memorande sodales,
Cui vita longe dulcior atque anima est

Seu cultus verae Dominae, sive illa tua ingens
Vere fraterni cura sodalitii:
Gratulor immensum cui consecraris honorem,
Et quod delatum est grande ministerium.
Aggredere o, novus incedas ad templa sacerdos:
Virtutum incedet te praeeunte chorus,
Relligio, Pietas, servoque Modestia fastu,
Inque omnes omni fusus Amor studio.
Hisce auctus facias, illique probabere, qui vult
Et dici virtutum omnium et esse Deus.

(ıI.) Habes in auctoris libro p. 24. nomen sacerdoti erat Iulio Caesari Montio.

Grande ministerium. de hoc legas velim ante alios quae disserit Isaacus Habertius in observatione quinta ad ritum Ordinationis, Libri Pontificalis Ecclesiae Graecae p. 364.

vıI.

De urbe Roma sacris religionis nostrae receptis

Quantum, Roma, Petro debes! quo sub duce majus
Atque tibi melius contigit imperium;
Et parta est ingens, manifesto numine, quanta
Sub priscis nunquam gloria Consulibus.
Olim vastatrix regnorum, foeda cruore,
Triste ferens miseris gentibus exitium:
Nunc orbis Caput es vere, quum diditur omnes
Munere per populos vita salusque tuo.

(vıI.) Legitur lib. v. epigr. auctoris n. 109. vide porro, quae Leo magnus habet sermone LXXXıI. et Zaccariae Antifebr. T. ıI. p. 64. edit. Caesen.

vııI.

De Societate Iesu restituta

Prima cohors Paulli nutu, gaudete sodales,
Exstitit, atque almo crevit ab auspicio.

Ast iterum vestris proles Farnesia votis
  Adnuit, et sanctos jungit ad arma senes.
Consilio pugnate viri: subit aurea rursus
  Progenies, referat quae pia facta patrum.
Talia Pontificem decuère exordia magnum,
  Munifici haec Regis gaudia spondet amor.

(xiiiI.) Paullus iiI. Pont. max. Societatem Iesu nascentem suscepit, fovit, amplificavit. erat autem ex Farnesia gente clarissima. ex eadem vero ab avia genus est Regis Ferdinandi, qui Societatem Iesu rursum apud se esse voluit, atque pristinas in Sicilia domos aperuit, et juventutem veteri more instituendam commisit.

VIIII.

De cultoribus mensis Mariani

Alma, vidên, pueri, o Virgo, innuptaeque puellae
  Virgineo ut clamant casta pudore cohors?
Dulci ut mi Mater compellat quisque loquela,
  Deque suo spondet munera pulcra animo?
Respice primaevae virtutis germina, et auge
  Quidquid nempe tua primum adolescit ope.
Auspice te patriae hinc surgent spes optima cives,
  Venturae matres hinc soboli ipsa dabis.

(xiiiI.) *Mi mater.* nempe *Mium,* inquit Pontedera (epist. iI. p. 19.) *quod manet in vocandi casu o mi veterum, meum posteriorum consuetudini inservit.* praeponebant autem, quum suos appellabant, vel etiam alienos. apud Tullium Tertia filia L. Paullum sic affata dicitur: (de Divin. l. I. c. 46.) *Mi pater, Persa periit.* apud Varronem inducitur Alexandri mater Olympias ad filium scribens *Noli, mi fili etc.* occurrit item *Mi* cum omni genere et numero, *Mi sidus, Mi homines, Mi spectatores.*

X.

De hospitio Petrarcae in agro Patavino

Arquadae collis, Petrarcae illustre sepulcrum,
  Et tempe Euganei vallis amoena soli,

Quam fluvii adverso celebrant certamine cursus,
Aemula Bajarum et stagna tepentis aquae,
Salvete: hic proles pulcherrima Iustinianae
Gentis, et ipse suae duxque comesque viae.
Plauserunt, qua moestus Amor circumvolat, atque
Voce vocans Lauram flebilis umbra senis.

(IIX.) De Arquada vide Tirabosch. T. v. l. 3. n. 34. *Iustinianae*: hic aut systole est in IN, aut certe synaeresis in IA, ut spondaicus sit versus. *Suae viae* pro *ejus*: neque enim semper id pronominis reciprocum est. Tullius ad Attic. l. vI. epist. 2. *Non destiti rogare et petere mea caussa, suadere et hortari sua.*

Amor et umbra: haec vero poëta sibi videre atque audire visus. sed haec nihil ad mortuos.

xI.

Ad Caesarem Malossium Praef. Vrb.

Hospes uti nostras gaudens inviseret arces,
Stratum usque ad portas undique nactus iter,
Majorum pia cura fuit: tua maxima, Caesar,
Vt velit urbanas civis obire vias:
Dumque obit, aequato cernat pulcra omnia calle,
Et scita comptas arte nitere domos.
Sic prior in patriam nobis dum prodis amorem,
Plus facis, ut patriam civis et ipse colat.

(XIIII.) Morem sternendarum viarum, quem Romani tenuerunt, nationes pleraeque imitatae, nullae adsequutae sunt. est tamen hodie quoque magistratuum non ultima laus conari eos pro viribus, ut commode cives ingredi possint, nec vicorum squalorem aversati ruri urbem posthabeant. quanta vero Romanorum in his magnificentia, nedum sollertia fuerit, legito apud Bergierium. (in Graevio T. x. p. 1.)

xII.

Ad sodales veteres in pristinum ordinem restitutos

O quos Romulea liqui digressus ab urbe,
Rebus in adversis saepe probata cohors

Ignati soboles germana! o queis Pater aevum
Perpetuum omnipotens dein fore pollicitus:
Salvete, et vestri memores estote sodalis;
Ad vos vis podagrae si ferat, en propero.
Nam mihi dulce mori vestra cingente corona:
Agnoscent socii me quoque Caelicolae.

(xiiiI.) *Agnoscent*: hic poëta vaticinium Borgianum haud obscure designat, de quo legere praestat, quae Bollandiani accurate scripsere. (Iulii T. vII. a p. 851.)

CAPVT IIII.

TITVLI

Operum publicorum aut etiam privatarum molium titulos Latini stilo quodam proprio scitos plane atque elegantes, nec tamen adstrictos certa numerorum moderatione et pedum scribebant. aliquando tamen ex versibus etiam confecere, quales in hocce caput conclusimus. de his vide, si libet, opus de Stilo Inscriptionum p. 273. *Graeci autem praeiverant, uti addiscere est apud Bonadum. (class. II. et III.)*

I.

In Villam et aquas Ciceronianas

Quod tua, Romanae vindex clarissime linguae,
 Silva loco melius surgere jussa viret:
Atque Academiae celebratam nomine Villam
 Nunc reparat cultu sub potiore Vetus;
Hic etiam apparent lymphae non ante repertae,
 Languida quae infuso lumina rore levant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
 Hoc dedit, hac fontes quum patefecit ope:
Vt quoniam totum legitur sine fine per orbem,
 Sint plures, oculis, quae medeantur, aquae.

Rem totam explicat Plinius; (H. N. lib. xxxI. c. 2.) *Digna memoratu, inquit, Villa est ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu ac nemore, quam vocabat Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus ejusdem nominis, in qua et monumenta sibi instauraverat, ceu vero non in toto terrarum orbe fecisset. hujus*

in parte prima exiguo post obitum ipsius, Antistio Vetere possidente, eruperunt fontes calidi perquam salubres oculis, celebrati carmine Laureae Tullii, qui fuit ex libertis ejus: ut protinus noscatur etiam ministeriorum haustus ex illa majestate ingenii. ponam enim ipsum carmen dignum utique, et non ibi tantum legi.

II.

Villa Martiali ab uxore dono data

Hoc nemus, hi fontes, haec textilis umbra supini
 Palmitis, hoc riguae ductile flumen aquae:
Prataque, nec bifero cessura rosaria Paesto,
 Quodque viret Iani mense, nec alget, olus,
Quaeque natat clusis anguilla domestica lymphis,
 Quaeque gerit similes candida turris aves,
Munera sunt dominae post septima lustra reverso,
 Has Marcella domos parvaque regna dedit.
Si mihi Nausicaë patrios concederet hortos,
 Alcinoo possem dicere, malo meos.

Sunt haec e Martialis libro XII. epigr. 31. concinna plane et elegantia.

Paesto. oppidum hoc Lucaniae fuit, quod poëtae a rosis saepe commendarunt.

Nausicaë. Alcinoi haec filia dicitur Regis Pheacum; cujus horti passim celebrantur.

III.

De fragmento navis Argus

Fragmentum quod vile putas et inutile lignum,
 Haec fuit ignoti prima carina maris,
Quam nec Cyaneae quondam potuere ruinae
 Frangere, nec Scythici tristior ira freti.
Saecula vicerunt: sed quamvis cesserit annis,
 Sanctior est salva parva tabella rate.

Martialis ejusdem haec quoque: occurrent lib. vI. epigr. 18. in ejus enim copia, si delectus adhibeatur, non desunt, quae delibasse juvet.

Cyaneae: insulae sunt ad ostium Evxini duae. de ipsa vero Argonautarum expeditione habes Catulli carmen LXV. quod tirones, qui poësim amant, non sine utilitate addiscent.

IIII.

De T. Quintio Flaminio liberatore Graeciae

Huc tulit arma olim Xerses a Perside: eodem
Huc Titus arma tulit nuper ab Ausonia;
Ille jugum cupiens Grajis imponere, Grajûm
Imposito hic cupiens colla levare jugo.

(vI.) Expressit auctor ex Anthol. lib. I. c. v. epigr. 24.

Titus: consulatum hic gessit an. Varron. D.LVI. cum Sex. Aelio Paeto Cato. de rebus ejus gestis vide Livium lib. XXXII. a cap. vII.

V.

Cleopatra moriens

Dulcia quam vitae linquentem lumina cernis,
Regina haec, regum et maxima progenies
Illa est, Actiaco magni servata triumpho
Caesaris, et sacra conspicienda via:
Quae genus haud oblita suum, captiva ne, dixit,
Romulidûm matres, proh pudor, adspiciam!
Non omnis victa est Cleopatra: feroxque colubros
Iam premit, atque ulnis atra venena bibit.

(XIIII.) Edita haec ab auctore in libro Inscript. ejus p. 408.

Non omnis victa etc. Non suam hic sententiam poëta, sed alienam utique effert, et furorem Reginae exhibet prae morte ignominiam aversantis. exstant porro de hoc argumento praeclara Castilionii et Favoriti carmina, quae et in Vaticano ad Cleopatrae statuam marmori incisa olim legebantur. de hujus infausto exitu adi, si vacat, Flcrum lib. IIII. cap. II. nec praetermitte Horatii odem XXXVII. lib. I. in qua asperas tractare serpentes ausa dicitur, ut atrum corpore combiberet venenum.

VI.

Obeliscus Quirinalis

Me quondam Aegypti desectum e cautibus, undas
  Vis quem per medias Romula transtulerat,
Vt starem Augusti moles miranda sepulcri,
  Caesareum Tibris qua nemus adlueret,
Iam frustra eversum fractumque infesta Vetustas
  Nisa est aggestis condere ruderibus.
Nam Pius in lucem revocat, sartumque Quirini
  Sublimem in collis vertice stare jubet:
Inter Alexandri medius qui maxima signa
  Testabor quanto sit minor ille Pio.

(XIIII.) Invenias inter auctoris Inscriptiones p. 403. Romae autem incisum legitur in basi Obelisci inferiore a tergo, qui dedicatus est an. M.DCC.LXXXVI.

VII.

Obeliscus Sallustianus

Littore ab Eoo Sallusti advectus in hortos,
  Qui metas inter jam caput extuleram;
Mox jacui miser heu multos diffractus in annos,
  Ipsae artes mecum dum jacuere bonae:
Et fore spes fuerat, Coeli ut me sede locatum
  Roma novis melior cerneret auspiciis.
Sed procul adversum surgens ad sidera moles
  Sprevit, et avectum foeda recepit humus.
Inde tamen magnus sortem miseratus iniquam
  Me Pius ad Pinci sustulit alta jugi;
Iussit et hinc populo signum ostentare Quirino,
  Petrus quod patriis arcibus imposuit.

(IIII.) *Et fore spes fuerat :* nempe in Coelio colle, quo translatus fuerat, statuendus olim putabatur contra aedem maximam Lateranensem. sed infra loci majestatem visus : itaque tandem in colle Pincio aptiorem invenit sedem, ubi aream decorat, ad quam ex ima urbe per suppositos gradus bifariam ascenditur, et templum respicit Trinitati augustae sacrum.

VIII.

De statua Paulli III P. M. in maris littore

Pacis amatori statuam tibi, maxime Princeps,
Ponit in arenti littore Praxiteles:
Vt qui terrarum sedasti bella, procellas
Tranquilles etiam non minus ipse maris.

(XX.) Est in auctoris lib. III. epigr. 477. designant haec an. M.D.XXXVIII. quo magni Reges a Paullo placati. quis autem fuerit novus hic Praxiteles, non divino.

VIIII.

De exsuviis nauticis Thrace devicto

Arma virûm galeasque et magnae barbara classis
Signa vidên, fractis rostraque de ratibus?
Romulea haec pubes pro relligione parentum
Bella gerens victis Thracibus eripuit.
Nec mirere: armis, hospes, belloque potentes
Et fuerunt et sunt nunc quoque Romulidae.

(XIIII.) ex auctoris libro Inscript. p. 402. pertinent autem haec ad victoriam navalem, quae de Turcarum copiis ad Naupactum reportata est, M. Antonio Columna Praefecto Classis Romanae an. M.D.LXXI.

Rostraque. Primum in urbe Tropaeum nauticum devictis Antiatibus constitutum legimus apud Livium, (lib. VIII. c. 14.) qui hostium navibus partim in navalia subductis, partim incensis, de istarum rostris suggestum in foro exstructum adornatumque tradit, ex quo deinde oratores et magistratus populum adloquebantur.

X.

De Basilica Faustiniana Clarensium

Mole sua quae Faustino fratrique Iovitae
   Stat domus invictis jam sacra Martyribus,
Clarenses posuere, tholo magnisque columnis
   Suspensam et picto parjete conspicuam.
Tantum opus haud dives, tamen est aggressa Vetustas,
   Publica quod potior cura decusque foret.

(XIIII.) *Stat domus.* Virgilius quoque pro aede sacra *Domum* usurpavit. vide Aeneid. l. VI. v. 81. rem vero confirmat vulgaris appellatio principis templi, quae ubique obtinet.

XI.

De turri maxima Clarensium

Maxima, sublimis quae surgit ad aethera, Turris,
   Suppositosque agros despicit atque juga:
Inconcussa, potens, atris inimica procellis,
   Non frustra excelso vertice pervigilat.
Nam furtiva domos si quando incendia terrent,
   Si quid et aestivae forte minantur aquae,
Admonet irrequieta die noctuque sonantis
   Pulsu aeris, tristes et premit arte notos:
Conceptiva docet nos sacra, et publica jussa,
   Nunciat inventum, perdita quaeque canit.
Adventus faustos prior adspicit, unaque cives
   Regis in occursum provocat ire sui.

(XIIIL.) Turris haec cum insigni illa Cremonensium mole facile certat: et tintinnabula habet octona mirae magnitudinis, quorum jocundus plane longinquis quoque concentus est, quum omnia pulsantur. vox etiam inde, nec Stentoris, per agros quaquaversus effunditur, magno compendio, si quid propere indigenis omnibus nunciandum fuerit.

xiI.

De villa, cui nomen Magnaula

Magnum, hospes, Magnaula tibi, si nomina villae
Spectasti adveniens, pollicita hospitium est:
At bene si noris mores et pectus amici
Hospitis, exspectes nil, nisi quod modicum.

(xviiI.) Erat haec villula Lucae Antonii Giuntae in agro Tarvisino.

xiiI.

De fonte et aquaeductu

Quod solitus silvis liquido pede currere in altis
Nunc celebro augustae regia tecta domus,
Gratia magna tibi, Rodulfi magne, meam tu
Per duri montis viscera ducis aquam;
Vt qui vix fueram pecori bene cognitus ante,
Nunc regum lymphis ora manusque lavem.

(viiiI.) ex auctoris lib. iI. carm. xviiI. Nicolaum hic Rodulfium appellat Cardinalem amplissimum. editum autem videas *Rodulphi*: mendose; nam φ Graecorum est, non Teutonum aut Celticorum.

xiiiI.

Invitatio ad viatorem

Fesse siti atque aestu longoque labore, viator,
Ad fontem venias subsilientis aquae.
Omnia te invitant, volucrum concentus et aurae,
Murmure quae blando per nemus omne sonant.
Adridet somnus viridi hic placidissimus umbra,
Sedabisque aestum frigore, fonte sitim.

(xx.) ex auctoris lib. iiI. p. 469. *Frigore*, vel ab antiquis id usurpatum de auris, quae calorem leniunt. itaque est apud Horatium (l. iiI. od. xiiI.

Frigus amabile, et ab Ovidio scriptum est, (Metam. l. x. v. 129.) *ab arborea umbra frigus ducere*, et similia alibi.

XV.

De Arce Clarensi

Iam senui, muros nunc et semesa, viator,
Moenia, dum transis, temne supercilio:
Me tamen Eugenius, sapiens ille Endoperator,
Me sibi praesidium duxit ab hoste fore.
Nunc pacis cultrix, sedes sum grata puellis,
Quae docta evolvunt serica pensa manu.

(XIIII.) Pugnatum hic saeculo, quod excidit, ineunte inter Gallos et Germanos, quemadmodum avi nostri saepe memorabant, Eugeniusque Princeps, qui Arcem hanc milite compleverat, proelio usus secundo est.

Endoperator ἀρχαϊκῶς: nam Endo, inquit Vossius, (in etymolog.) antiqua est praepositio pro *In*, est que vel a Graeco ἐν τῷ, vel potius ab ἔνδος quidam pro *Endo* scribendum putant *Indu*: at plerique *Endo* probant, ut *Endoplorato* pro *implorato*, *Endoriguum* pro *irriguum*.

XVI.

De formis aquarum Clarensium

Quod duplex circum fluvius viridantia serpens
Moenia te adversis adluat agminibus,
Vrbs felix, tristes iras et culmina aquarum
Ne metuas; norunt flumina docta modum.
Vtere aquis, potum latura arentibus agris,
Vtere, dum varium machina adurget opus.
Talia majorum peperit solatia cura,
Queis potior multo mens animusque fuit.

(XIIII.) *Adversis adluat agminibus*. bina nempe, quae Claras ambiunt, flumina in contraria currunt, via intermedia, ex qua utrumque spectare licet. de aquis vero *Agmen* apud Virgilium quoque occurret, (Aen. lib. II. v. 182.) cui Ennius praeiverat, ex Macrob. Saturn. lib. VI. n. 4.

XVII.

De Valetudinariis Clarensibus

Regia quae surgit moles, crebrisque renidet
Luminibus, cui nam publica cura dicat?
Haec peregre langueuti est, haec miserisque parata
E plebe, hinc morbus quos premit, inde fames.
Tale decebat opus neglectos; abditus horum
Sub specie quando vel Deus ipse latet.

(XIIII.) *Luminibus*, id est fenestris. itaque Cajus I. C. ait, *Si vicino aedificante obscurantur lumina cenaculi.* (lib. XVIII. T. II. l. 25.)

Vel Deus ipse latet: quae sic intelligas, sive quod Deus noster Iesus obsequium sibi delatum existimet, quoties miseris opem praebemus; sive quod etiam sub egenorum amictu se interdum agnoscendum dedit, uti sacra Historia non semel confirmat.

XVIII.

De convivio pauperum

Prima ubi te votis, Agape, suscepit ovantem
Caelesti dives pignore facta Domus,
Bisseni plebe ad mensam de paupere laute
Accepti heic hilares accubuere senes.
Quippe tuum admonuit nomen nos Hospitis, haud fas
Posthabita hunc Agape praeteriisse diem.

(XIIII.) Pertinent haec ad diem XII. kal. Febr. an. M.DCC.LXXXXVI. quo die sacrum Agapes Martyris Corpus rite translatum est. in qua enim aula biduum ante requieverat, ibidem pauperes duodecim convivio accepti fuere: quod Christiani veteres Agapen appellabant. id moris Tertullianus attingens (in Apolog. c. 39.) *Cena*, inquit, *nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim* Ἀγαπη. *id quod* Dilectio *penes Graecos est. quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum; siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus.* videsis Muratorium (Disquis. II. de Agapis sublatis in Ανεκδ. Graecis.) a p. 241.

CAPVT V.

ELLOGIA

Narrationes breves atque dilucidae, quae clarorum virorum aut feminarum illustrium statuis imaginibusque subscribuntur, Elogia appellantur: qualia olim Augustus in foro suo magnorum ducum statuis adscripsit. vide opus de Stilo Inscriptionum (p. 158.) haec autem versibus quoque pertexta vel a veteribus, (ibid. p. 275.) idque commodius factum, quod res gestae carmine uberius tractari ornarique possint. atque hoc ipsum in exemplis, quae sequuntur, tute agnosces.

I.

De Tito Quintio

Invertebat humum, atque boves urgebat aratro
Quintius, et multo pulvere turpis erat;
Quum sese esse ducem sensit: rapit arma, triumphat,
Immittitque hostes sub juga, ut ante boves.
Rus repetit, gaudete boves et aratra et agelle,
Ecce triumphalis vester arator adest.

(xx.) Leges in auctoris libro II. epigr. p. 185. hic vero ille est Cincinnatus, quem, ut ait Cicero, (de Fin. l. II. c. 4.) *Majores nostri ab aratro abduxerunt, ut Dictator esset.* rem ipsam jocunde narrat Livius lib. III. c. 11. qui *Lucium* praenomine vocat.

II.

L. Siccii Dentati praemia

Arma vidên congesta, hastas, genus omne coronas,
Armillas, torques tot simul et phaleras?

Virtutis decus haec bello tulit omnia victor
Siccius, Argolico non minor Aeacide.

(XIIII.) Habes in auctoris libro Inscript. p. 408. *L. Siccius Dentatus,* inquit Plinius, (H. N. l. VII. c. 28.) *qui Tribunus plebis fuit Sp. Tarpejo, A. Aterio Cos. haud multo post exactos reges, vel numerosissima suffragia habet: centies vicies praeliatus, octies ex provocatione victor, quadraginta quinque cicatricibus adverso corpore insignis, nulla in tergo. item spolia cepit XXXIIII. donatus hastis puris duo deviginti, phaleris XXV. torquibus tribus et LXXX. armillis CLX. coronis XXVI. civicis XIIII. aureis VIII. muralibus III. obsidionali una, fisco aeris, X. captivis et XX. simul bobus.* vide etiam de eodem Valerium Maximum et Gellium.

III.

De Gabriele Paleoto Card. Archiep. Bonon. funeris caussa

Inter mille sacras redolentia lumina taedas,
Gloria quas cineri dat, Paleote, tuo,
Fundere purpureos certabant veris honores
Iustitia et dulci cum Probitate Fides:
Ipsa autem maesto gemitu templum omne replebat
Relligio, niveas dilaniata comas.
Ast tibi quae totos animo insedere per annos
Virtutes querulo talia ab ore dabant:
Aligeras acies, Gabriel, caelumque petisti:
Ecquando nobis optimus alter erit.

(X.) Reperies haec in auctoris libro p. 310.

Decessit magnus iste vir et multorum laudibus celebratus XI. kal. Aug. an. M.D.LXXXXII. Romae, unde corpus deinde Bononiam translatum est, quae patria erat. Floruit doctrina, pietate et Pontificum maximorum gratia, carus praeterea viro illius aetatis sanctissimo Karolo Borromaeo, qui consiliis ejus saepe utebatur. multas idem in pontificatu aedes sacras restituit, ornavit, de quibus legendus tibi Ciaconius, (T. III. p. 479.) qui res gestas ejus fusius digessit.

IIII.

De Fausto Sabaeo Clarensi

E tenebris primo cultum tua cura, Sabaee,
In votis quod erat, protulit Arnobium:

Pontificum per te jussu auspicioque recepit
Vaticana auctus Bibliotheca novos:
Laudasti proceres et multo carmine reges,
Crevit et a versu fama decusque tuo:
Nulla tamen praenses inopem te dextra levavit,
Et magno fulgens nomine pauper obis:
Mitte queri; multae de te Clarensibus uno,
Quae nunquam pereant, divitiae obtigerunt.

(XIIII.) Poëta hic noster non semel tenuitatem suam et rei familiaris angustiam commemorat. idem patriam suam Clarium appellat, (l. III. epigr. XI.) eique se debere ait lucem, virtutem, mores, pro quibus donis nec majus reddere, nec par profitetur se posse.

V.

De Isidoro Cucchio Clarensi Episcopo Fulginatium

Praemia dum meritae referet sapientia laudis,
Debitus et studiis dum tribuetur honos,
Quis libros, Isidore, tuos nomenque silebit,
Quisve artes poterit non meminisse tuas!
Sed pietas, quae summa fuit, sed maxima nostris
Heu benefacta procul disperiere oculis!
Fulginium Patre te, Clarensis et incola Cive
Gaudet: at illa Deus dispicit, ipse probat.

(XIII.) De praeclaro hoc Pontifice lectissima quaeque perleges in Bibliotheca Clarensi. hujus autem et ceterorum, qui olim claruere, quum hic imagines prostent, quam vellemus de adolescentibus nostris Sallustianum illud usurpari posset, (in Iugur. c. 4.) *Quum majorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi*, eos saepe sensisse.

VI.

De Petro Faglia Praep. Eccl. Claren.

Vivis, Petre, novum virtus tibi prorogat aevum,
Vivis adhuc, animis dum benefacta vigent.

Namque tuum ut subeunt templum, mirantur honoris
Huic cives quantum sedulus addideris.
Hicque sibi interdum visi te audire docentem,
Et bibere attentis auribus eloquium.
Vita quidem potior tibi caelo: ast haec quoque parta est,
Tam bene de nobis quum meruisse datum.

(XIIII.) De hoc summo viro commentarium edidit an. M.DCC.LXX. Ludovicus Riccius Curio Canonicus Ecclesiae nostrae, qui et ei se multum debere, grato animo fassus est.

VII.

De Ludovico Barcella Clarensi summo Magistro Iesuatarum

Docte Palaestinas sermone evolvere linguas,
Grajorumque potens o pater eloquii,
Nec minor ingenii laude excultaque mathesi,
Barcella, hoc summum te mage prodit opus,
Mirum opus, arcani tutus mysteria sacri
Quo pandis: superis haec didicisse datum est.

(XIIII.) *Mirum opus*: commentarium nempe de Trinitate augusta vir magnus vulgavit, multa initio de orbis conditi mirabilibus complexus ex Mathematicae principiis, quae explorata habebat. adi nunc Mazzucchellium (vol. III. p. 305.) plura mox suppeditabit Bibliotheca Clarensis, quam Iacobus Gussagus adornat, vir eruditione et diligentia praestans.

VIII.

De Ludovico Alexandrinio Clarensi

Cur patriam linquis, Ludovice? an laurea tanti est,
Vrbs Patavi meritis quam dabit alma tuis?
I tamen, atque decus patriaeque augere tibique
Perge, o doctrinae lumen et ingenii:
Gloria sic nostrae per te laetissima gentis
Crescet, tu melior dona parata feres.

(xiiI.) De hoc viro praestanti exstat epistola Ludovici Riccii ad Mazzucchellium. carmina vero aliquot plane compta servat civis noster harum deliciarum scrutator diligentissimus Thomas Begnius.

Dona parata feres. nimirum reduci honor habitus est, ut in Canonicorum Collegium adlegeretur.

viiI.

De Ioanne Novagano Curione Canonico

Occidis, o Novagane, decus patriaeque sacrique
Ordinis: uno omnes tangimur interitu.
Quid tibi non proceres debent et clara juventus,
Doctrinae olim opibus largiter aucta tuae!
Aut quid plebs omnis non impetrasse fatetur,
Saepe experta tuum protinus auxilium!
Ingenio studioque quibus non utilis idem,
Aut quibus obsequio serus et officio?
Iam nostrum potis hoc unum lenire dolorem,
Parta tibi aeterna est quod pietate salus.

(xiiiI.) Descriptum ex Cenotaphio, quod est in aede Petri Martyris. amisimus autem egregium hunc atque optimum virum viiI. id. Oct. an. M.DCCC. vI. ad cetera ejus ornamenta illud quoque accedit, quod praeclarus geometra fuerit, et in mathematicis apprime versatus.

x.

De Mauro Bettolinio Praef. scolar. Claren.

Quod pueri rectis assueti moribus hic jam
A ludo agnoscant relligione Deum,
Quod juvenum studiosa cohors pietate probetur,
Officiique senes ipsa sui admoneat;
Totum hoc, Maure, tibi quantum est, nae Patria debet,
Quaeque simul studiis te duce aperta via est.
Talia quid dabimus propter benefacta? volenti
Praemia caelestum sat tibi noster amor.

(xiiiI.) Obiit vir hic eruditissimus et de patria optime meritus xvI. kal. Apriles an. M.DCCC.VIII. Brixiae, ubi eum morbus oppressit. quae scripsit et quae in lucem emisit, leges in Bibliotheca Clarensi. ejusdem exstat hic cenotaphium in aede Mariana majore.

xI.

De Ioan. Mathia Tiberino Clarensi

Quid latitas, Tiberine? tuum jam nomen in auras
Prodeat, et propriis fulgeat inde bonis.
Ingenio quondam et medica clarissimus arte
Grande Tridentinae tu decus urbis eras.
Reddere jam patriae, videant tua carmina lucem,
O vates Latiae gloria magna lyrae.
Tu quoque mortiferos potuisti pellere morbos,
Atque aegris idem demere curam animis.

(xiiiI.) *Tu quoque*: nam plures fuisse, qui quum medicinam profiterentur, poësim etiam adamarint, in eaque praestiterint, adnotum est, quumque alii aliis in urbibus, tum inter nos claruit Mathias Cornalba poëta idem ac medicus non ignobilis. vixit autem Tiberinus saeculo xv. diuque apud Tridentinos cum laude versatus est: de quo in Bibliotheca nostra plura reperies.

xiI.

De Iovita Rapicio Clarensi

Vtilis exemplo vixisti et voce, Iovita,
Oratorque tuo crevit ab eloquio.
Ast Italûm excultis quum tot lauderis alumnis,
Heu dispersa tamen cur tua scripta latent?
Clarenses doluere, subit jam gloria civis,
Contemni tales nec patientur opes.

(xiiiI.) *Oratorque*: scripsit Rapicius *De numero oratorio* libros quinque, item *De praestantia earum artium, quae ad recte loquendi, subtiliter disputandi, et bene dicendi rationem pertinent.*

Porro haec et alia egregii scriptoris opera, quae Riccius in ejus vita recensuit, Begnius noster simul omnia, quod cupide expectamus, in lucem emittet.

xiiI.

De Ludovico Bigonio Clarensi

Macte, senex Ludovice, procul licet incolis astra,
  Patria fausta tuo non caret auxilio:
Patria consilio quam quondam opibusque juvabas,
  Vsque prior misero ferre paratus opem;
Namque manent tua scripta, manet domus alta tuorum,
  Exemplo gaudet quae nituisse tuo.

(xiiI.) Suavem adhuc recordationem habemus viri hujus pientissimi atque optimi, in quo mite ingenium, multae litterae, plurimum et dignitatis et liberalitatis fuit: bene autem de omnibus meritus, ac nemini unquam gravis, jam senior decessit iiiI. idus Apriles an. M.DCC.LXXXV. quem egeni in primis tamquam solatore amisso impensius luxerunt.

xiiiI.

De Demetrio servo ante mortem manumisso

Illa manus quondam studiorum fida meorum,
  Et felix domino, notaque Caesaribus,
Destituit primos virides Demetrius annos,
  Quarta tribus lustris addita messis erat.
Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras,
  Vreret implicitum quum scelerata lues,
Cavimus, et domini jus omne remisimus aegro;
  Munere dignus erat convaluisse meo.
Sensit deficiens sua praemia, meque patronum
  Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

Martialis haec lib. I. epig. 102. *Manus*: id est servus librarius, qui et Amanuensis apud Svetonium appellatur. (in Ner. c. 43. et in Tito c. 3.)

Ad Stygias. hujus vocis vera origo a *ςυγεω odi*: itaque a Virgilio *Palus inamabilis* dicitur lacus ille Stygius (Aen. l. vI. v. 438.) eandem vocem admisit Prudentius (in Cathemer. v. 126.) et *Stagna Acherontica*

commemoravit, (ibid. v. 128.) id est gaudii omnis expertia. hujusmodi enim nomina Infernis ex vero indita: rem ipsam poëtae veteres commentitiis fabulis perverterunt. *Tartarum* quoque ab Aegyptiaco vocabulo, quod *tremorem* indicat, deductum esse, adnotavit Rossius in Etymologiis Aegyptiacis (p. 218.)

XV.

Hagne invicta Martyr

Hagne ego, nec captam sponsus decet ullus ab orbe,
 Non dux, non regis filius atque nepos.
Sidera namque unus me qui caelestia torquet
 Omnipotens sponsam maluit esse suam.
Lictor age, trepidas? contra nihil aûsa puella
 Iam fuso Dominum pulcra cruore petam.

(XIIII.) *Hagne*: sic efferendum nomen sanctissimae Martyris, et lapides antiqui, et codices veteres declarant. vide Bentlejum ad Horatii Serm. II. l. I. v. 40. est autem a Graeco *Ἀγνὴ casta*, ceterum aevo sequiore inductum, ut *Agnes Agnetis* declinaretur, quemadmodum et alia feminarum nomina: de qua consuetudine vide Lupinm. (in Comment. ad epitaph. Severae Martyris p. 157.)

Nec captam: intellige Virginem, quam Deus sibi ceperat et addixerat: eo nempe sensu, quo *capta* dicebatur olim Vestalis, quam Pontifex veluti bello captam a paterna domo abducebat, ut sacris inter socias virgines addicta esset. (vide Gellium N. A. lib. I. c. 12.) legendum quoque est caput secundum libri I. de Virginibus inter opera s. Ambrosii (T. III. p. 175.) et quae Mazochius adnotavit. (T. III. kalend. Neap. p. 917.)

Lictor age. ultima syllaba in *Age* longa fit Graeco more propter consonantes binas, quae sequuntur, ut Virgilianum illud *Date tela, scandite muros.*

Quod reliquum est, haec secundum Ambrosium Prudentiumque prolata: quibus non consentiunt Acta Chaldaica Eusebiana, quae a Steph. Evodio Assemano accepimus. (T. II. p. 159. Act. SS. MM. Orient. et Occid. Romae 1748.) sed discordiam tollere videtur quod Buonarrotius adnotavit, (Osserv. p. 92.)

XVI.

De Aloisia Borbonia Augusta

Qui pudor innuptis, quae nuptis cura suorum
 Conveniat, viduo qualis honor thalamo;

Quem felix fortuna habitum, quem laeva requirat,
Qua superûm atque hominum jura colenda fide:
Omnia si qua volet simul haec condiscere paucis,
Augustae mores discat Aloisiae.

(XII.) Occurret in auctoris. lib. III. Inscr. et carm. p. 86. fuit autem Aloisia haec Karoli III. Borbonii Regis Hispan. filia, Leopoldi Aug. uxsor, mater Principum Austriadarum.

XVII.

De Petro Repossio V. C. Praefecto juridicundo apud Clarenses

Insontes justo sub judice abire solutos
Par erat; et merito lex tibi jusque favent.
Haec tua, Repossi, laus inclita primaque, victos
Haud unquam caussa qui cecidere queri.
Quippe unus veri, vindex justissime, fontes
Ipse aperis, nemo quos pote respuere.

(XIII.) Hoc scilicet viro integerrimo et doctissimo tributum videmus, ut ne ii quidem, qui adversa sententia perculsi fuerint, judicium ejus aegre ferant.

CAPVT vI.

EPITAPHIA

Inscriptiones sepulcrorum Latini etiam Graeco vocabulo Epitaphia *dixere, iidemque Graecorum consuetudinem sequuti, non raro versibus confecerunt. cujusmodi sunt pleraque carminum, quae Gruterus (p.* 1163.) *ex codice Bibliothecae Palatinae descripsit, et quae Bonada secundo potissimum operis sui volumine complexus est. similia etiam exibent Muratorius, Fabrettus, Maffeius, aliique. ea tamen prae nostris nec compta plerumque, et barbarie infuscata videantur.*

I.

Catulli inferiae ad fratris tumulum.

Multas per gentes et multa per aequora vectus
 Advenio has miseras, frater, ad inferias,
Vt te postremo donarem munere mortis,
 Et mutum nequicquam adloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi te te abstulit ipsum:
 Heu miser indigne frater adempte mihi!
Nunc tamen interea prisco quae more parentum
 Tradita sunt tristes munera ad exsequias,
Accipe fraterno multum manantia fletu,
 Atque in perpetuum frater ave atque vale.

Est id carminis ordine cI. inter Catulliana. porro *Inferiae* munera quaevis sunt, quae defunctis quocumque tempore inferantur, aut annua religione renoventur.

II.

De L. Verginio Rufo

Hic situs est Rufus, pulso qui vindice quondam
Imperium adseruit non sibi, sed patriae.

Plinius junior hoc nobis epitaphium transmisit lib. vI. epist. 10. ipse autem Rufus, qui scilicet Iulio Vindice a Nerone deficiente et Gallias alienante, quum eo devicto, imperium sibi assumere posset, milites sibi adclamantes in officio continuerat, ut is principatum acciperet, cui Senatus detulisset, ipse, inquam, ut Plinius ait, *mandaverat caveratque, ut divinum illud et immortale factum versibus inscriberetur.* vide etiam lib. vIIII. epist. 19. atque idem lib. II. epist. 1. funus publicum commemorat Rufi, eumque maximum et clarissimum civem appellat, ac perinde felicem, quod nempe triginta annis gloriae suae supervixisset.

III

Tumulus Hannibalis

Vivo equidem, angusti nec me sub mole sepulcri
Virtutis coges immemorem aut generis.
Victori monumenta Duci, quas rupit, apertas
Pone alpes, domitam et pro tumulo Ausoniam:
Et Trebiam super et Trasymenum infandaque Cannas
Busta adde, aggestis Romulidûm exsuviis.
Stet, quae facta ferat, Latiis imposta ruinis
Carthago: condi sic decet Hannibalem.

(xIIII.) Invenies in auctoris lib. Inscr. p. 409. Poenum hic hominem de rebus suis gestis gloriari ne mirere: similia Temistocles jactans inducitur a Caesare Germanico (Anthol. libro III. c. 5.)

IIII.

Cenotaphium Vari Centurionis

Vare, Paraetonias Latia modo vite per urbes
Nobilis, et centum dux memorande viris;

At nunc Ausonio frustra promisse Quirino,
Hospita Lagaei littoris umbra jaces.
Spargere non licuit frigentia fletibus ora,
Pinguia nec moestis addere thura rogis.
Sed datur aeterno victurum carmine nomen:
Numquid et hoc, fallax Nile, negare potes?

Ex Martiali habes lib. x. epigr. 26. Varum deflet Centurionem in Aegypto mortuum. nam illic urbs Paraetonium cum portu, et Lagaeum littus a Lago patre Ptolomaei.

Vite nobilis, id est Centurionatus honore: nam ut virga lictorum, sic vitis sive viteus bacillus gestamen erat Centurionum, quo et milites delinquentes caedebant.

V.

Cenotaphium naufragi

Infelix terra haud periit Lycus: aequore in alto
Miseni solvens navita littoribus
Abreptum fracta vidit rate. volvitur undis
Corpus, ego at tumuli nomen inane fero:
Et nautis metuenda cano, fugientibus haedis
Ne credant tumido seque ratemque mari.

(xiiiL.) ex auctoris lib. Inscr. p. 395 *Fugientibus haedis* id est Εριφων δυομενων, ut habet Callimachus. (in Anthol. l. 3. c. 22.) Stellae autem binae eo nomine indicantur in signo Aurigae prope Capellam, quas Virgilius *Pluviales haedos* dixit, (Aen. l. viiiL. v. 668.) *Nimbosos* Ovidius. (1. Trist. eleg. xI. v. 13) oriri eas stellas nos docet Manilius, quum *Aries* gradus viginti emensus est. (Astron. l. v. v. 102.) occidunt autem, si Hyginum audias. (Astron. l. iiI. c. 12.) cum Heniocho sive Auriga, in cujus sinistra fulgere dicuntur.

vI.

De tabula Christi D. N. sepulcrum referente

Adspicis incurvum manibus post terga revinctis
Qui fremit, et nudis vincla terit pedibus?

Hic ille est Erebi dirus regnator: at illa
Mors fera, direpta quae jacet a pharetra.
His cessere homines, sed non Deus: urget utrumque
Qui vicit, clauso non minor in tumulo.

(xiiI.) ex auctoris lib. Inscr. p. 407. pictoris eadem et poëtae mens fuit, ut triumphum ob oculos ponerent, quem auctor salutis nostrae de Satana ac de morte egit. quamquam levia haec atque infra verum, si animo cogites, quanta in nos bona humani generis sospitator ex victoria sua redundare voluerit.

vII.

De Romulo Cervino

Romulus hic parva dormit Cervinus in urna
Vltima donec erit terribilisque dies.
Interea a lacrimis dulces absistite amici,
Illum ut respiciat, sollicitate Deum:
Quamvis vita illi studiosa, modesta nitensque,
Nemo potest meritis sidera adire suis.

(xx.) Occurret inter epigr. auctoris lib. iiI. p. 759.

Cervinus: frater hic fuerat Marcelli Cardinalis, qui Pontificatum maximum adeptus est: idque ipsum Sabaeus indicat infra. (p. 580.)

Nemo potest. verissime dictum: *Quum omne bonum meritum nostrum*, ut ait Augustinus, (epit. 194. n. 19.) *non in nobis faciat, nisi gratia; et quum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua.*

vIII.

Tumulus Alberti Pii

Nominis Ausonii decus ac tutela salusque,
Magnus ab eloquio, major ab ingenio,
Occubat hic gelida Princeps doctissimus urna,
Caesaris ac regum Pontificumque dolor:
Quam procul a patria et natis et conjuge rara!
Quantum illi sors est impia facta Pio!

(xx.) ex auctoris epigr. l. iiI. p. 448.

Decessit Pius hic Parisiis an. M.D.XXXI. de quo summo viro, ab omnibus, ut Sadoletus scripsit, ingenii et virtutis ornamentis praedito, vide quae in Historia sua fusius enarrat Tiraboschius. (T. VII. P. I. p. 262.)

Sors impia. durius dictum, quam vellem. ceterum casus ea formula plerumque designatur, qui sine ulla hominum ope evenit, non advertente animo, nihil in orbe contingere, quod a Deo summo omnium moderatore non pendeat.

VIIII.

Ad sepulcrum Franc. Bardii Com.

Non te immaturo praereptum funere, nec jam
Dilapsum in mutos conquerimur cineres,
Bardi, cui virtus letheae nescia noctis
Institit ad sedes divûm aperire viam,
Felices divûm sedes, quas aurea vestit
Iocundo semper lumine laetitia.
Non te, sed nostra interitu ex hoc vulnera flemus,
Non tibi sed nobis fundimus has lacrimas:
Quorum heu ex oculis nunc tot bona, tantaque morum
Obtrita est species atque animi probitas.
Nec quicquam pote susceptum lenire dolorem,
Nec tantam ex animo demere tristitiam;
Ni superent fratres, tuaque una vivat imago,
Et morum species atque animi probitas.

(xvI.) Leges inter Rotii carmina p. 86.

Susceptum dolorem. quum infra *Tristitia* de animo dicatur, iste *Dolor* ad corpus referendus videtur: nisi sit Ἐνδιαδυοῖν. at quid est dolor? difficilis questio. tu vide, si vacat, Simonis Partii librum. edit. Florent. an. M.D.LI.

X.

De Praetore Apuano

Externa, Mordine, cadis tellure: sed ipsa
Te nos elatum dicimus in patria.

Nam te civem Apua, et patriae te fassa parentem,
  Moesta tui luctu funeris et lacrimis.

(XIIII.) Depromptum ex lib. Inscr. auctoris p. 394. ubi epitaphium occurrit egregii Praetoris qui in magistratu decessit an. M.DCC.LXXXVI. ibidem habes de Apuae nomine quae feruntur.

XI.

Parthenii Mariani nomine ad fratrem peregre defunctum

Non si mortales adversis finibus annos
  Divino iussi vivere consilio,
Tu pius Insubrum ornares ut moribus urbes;
  Vox aliqua ut Latium nostra juvaret ope;
Arguat immemorem tua virtus: adfuit ipse
  Huc animus moestas, frater, ad inferias:
Dumque tuum adloquitur cinerem, cupit esse, relicto
  Corpore, queis felix tu spatiare plagis.

(XIIII.) ex auctoris lib. Inscr. p. 393. ubi epitaphium leges Ioannis Phil. F. Mariani. cujus memoriam Parthenius exstare voluit. vide adnotat. ad epigr. II. cap. I.

XII.

Cenotaphium Mauri Bettolinii

Brixia dum nuper funus tibi moesta pararet,
  Maure o Clarensis praesidium patriae:
Altricem ad terram corpus remeare jubebas,
  Cumque tuis uno condier in tumulo.
Invidit cinerem mala sors: at non tamen illa
  Eripuit frugi tot benefacta viri:
Ipsa manent nobis virtutum exempla tuarum,
  Summa manent casti pectoris officia.

(XIIII.) Quum tantus vir ingenio in primis et bonarum artium cognitione praestaret, multum praeterea apud proceres plerosque gratia valeret, mi-

ra quadam benefaciendi voluptate tenebatur, beneficiumque sibi obvenisse putabat, quum aliis contulisset.

Eripuit frugi: vir frugi est, cujus virtus frugalitas, quae apud Latinos est omnis abstinentia, omnis innocentia, ut ait Cicero: (in Tuscul. l. III. c. 8.) nomen a *fruge*, qua nihil melius e terra.

XIII.

De sepulcro Aloisii Lanzii

Quem defles passis, Florentia, crinibus? Artes
Cujus honoratos heu trepidae cineres
Excipiunt, teretique intendunt condere in urna,
Spargere et aeternis floribus effigiem:
Quas Pietas sanctusque Pudor, Charitesque sequuntur
Ad tumulum, pensat cui Σοφιη titulum:
Lanzius hic non est: Mens illa atque inclita Virtus
Illuxit terris, nunc super astra nitet.

(II.) *Artes*: ut virtutibus, sic artibus vita quaedam et species tribuitur a poëtis. *Artium chorum* appellavit Musas Phaedrus: (l. III. in. Prol. v. 18.) et de eloquentiae studiis ait Cicero (pro Murena c. 10.) *Artes illico nostrae conticescunt.*

Charitesque: sive Gratiae a venustate et lepore dictae: Χαρα *gaudium* origo est nominis. antiquis Deae erant (v. Murat. Thes. Inscr. p. 494. n. 3.) nobis quum versus facimus, formae velnti sunt et ornamenta animorum. neque haec respuat, qui Graecas litteras Athenis, ut ajebat Tullius, non Lilybei, Latinas Romae, non in Sicilia didicerit. (Divin. c. 12.)

XIIII.

Tumulus Aloisiae Borboniae Augustae

Hic sita Borbonis: bis septem ad funera Matrem
Flebant egregii moribus Austriadae.
Nec minus hanc flebant Dominam Ticinus et Arnus,
Mincius et sociis Rhenus et Ister aquis.
Da lacrimas tumulo, da florea serta, viator,
Qui talem et Matrem contegit et Dominam.

(XII.) Habes in auctoris l. III. Inscr. et carm. p. 87. ubi de Regina illa Augusta veris ornantur laudibus, quaecumque scripta reperies.

XV.

De Maria Apollonia Biancinellia

Addita sideribus, mater bona, respice prolem,
Quae procul exemplo jam caret orba tuo:
Nam te quae propior circumvolat, haud opis illa
Indiget; huic omnis debita cura modo est.

(XIII.) Descriptum ex Cenotaphio, quod feminae spectatissimae positum est Claris in aede Petri Martyris. fuit autem haec mater liberorum XVI. e quibus novem ante eam in caelum parvuli abierunt. matronae porro huic omnes innocentiae, comitatis, misericordiae, sollertiae praeconium tribuere.

XVI.

De matre aurei juvenis

Et genere et patria, natis quoque dives et annis
Paulla erat; haud tamen haec mira, viator, habe.
Mirare hoc, partus quod contigit aureus illi:
Aequari huic tandem gloria quae poterit!

(VI.) Invenies in auctoris epist. VIII. p. 14. in qua idem epigrammatis sententiam aperit, a filio optimo matrem laudans. *Quaeris*, inquit, *quid illud sit? quod te enixa est, quid aversaris? aureum partum.* sed ad quem ea epistola missa fuerit, ignoramus. illud obvium, quae optima, ea aurea dici.

XVII.

In Lydium puerum et matrem

Luderet in viridi dum cespite Lydius infans
Propter aquam, ah pietas, ictus ab angue cadit.
Infelix mater natum est complexa jacentem:
Occidit angue puer, victa dolore parens.

(xxiiiI.) Leges in auctore p. 181. *Dum cespite*: scribunt alii *caespite*, quod cum Festo a *caedendo* deducant: est autem cespes gleba cum herba: sed hic pro ipsa terra herbosa usurpatur.

xviiI.

Tumulus Charmidis

Cui nota est vitae sors crastina! luce valentem
Hesterna qui te vidimus, en tumulo
Condimus hoc, Charmi. heu heu! vidit acerbum
Nil magis in vita re pater hac Diophon.

(viI.) Expressum ex Anthologia l. iiI. c. vI. epigr. 58.

Vidit acerbum nil magis. quid dolorem lenire possit, a Tullio accipe (Tusc. 4. l. iI. c. 24.) *Ad ferendum dolorem placide et sedate plurimum proficit toto pectore, ut dicitur, cogitare, quam id honestum sit. sumus enim natura studiosissimi, appetentissimique honestatis.*

xviiiI.

De Balthasare Bigonio puero annor. iiI. praerepto

Dum studiis Paullus floret, dum matris amore
Festivus gaudet Balthasar Angelicae,
Eximios laetus pueros pater adspicit astris,
Adspicit, et socium postulat alterutrum:
Omnipotens tantae cui virtus cognita matris,
Ille, inquit, generis sit decus, iste poli.

(xiiiI.) *Festivus gaudet.* inter Germanici Caesaris liberos, quos ex Agrippina susceptos amisit parvulos, unus memoratur a Svetonio (in Cajo c. viI.) jam puerascens insigni festivitate, cujus effigiem a Livia dedicatam Augustus in cubiculo suo positam, quotiescumque introiret, exosculabatur: itemque Marcus filius a Seneca (Consol. ad Helv. c. xvI.) blandissimus puer, ad cujus conspectum nulla potuerit durare tristitia. ceterum quid ista, si ad puerorum nostrorum jocunditatem referamus, quorum labem salutaris aqua detersit? quanto illa amabilior in horum ore renidet hilaritas, quanto magis joci sapiunt, et delectat garrulitas! hujus vero pueri mira erat suavitas neminem aversantis, et blande subridentis, quicumque ei blandiretur. itaque ejus, qui norunt, non sine voluptate adhuc recordantur.

XX.

De Silvio in adolescentia defuncto

Hunc tumulum tibi pro thalamo fecere parentes,
Silvi, et perpetuis funera cum lacrimis.
Laberis infelix, primoque exstingueris aevo,
Et roseo indignam sanguine tingis humum.
Rarus honos, quod Roma parens, quod Roma sepulcrum,
Quod desiderium non pote ferre tui.

(XXIII.) Leges lib. VI. poëmat. auctoris p. 182. at de ipso Silvio nihil proditum est.

XXI.

Tumulus puellae

Sub tumulo hoc moesti quam composuere parentes
Nomine ego Eunice trima puella fui.
Caelicolae rapuere, oris ne perdere forma
Me posset, multos perderet aut alios.

(XIII.) *Eunice.* Christianum nomen hoc ab initio Evangelii: sic enim Timothei mater appellabatur, quae Loidis itidem Christianae filia erat. (vide epist. Paull. ad Tim. primam c. 1.)

Rapuere. in Christiana Inscriptione apud Fabrettum (p. 581. n. 86.) legimus ACCERSITVS . AB . ANGELIS de puero aunorum quatuor.

Ne perdere. simile illud Hagnae Virginis apud Ambrosium (lib. I. de Virgin.) *Pereat corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo.*

XXII.

Pater moerens filia amissa

Heu sine te misero quae jam solatia patri,
Gnata, meos potius vivere digna dies!
Nulla mihi nisi luctus erit lacrimaeque voluptas,
Obvia me caelo dum socium accipias.

(XIIII.) ex auctoris libro Inscr. p. 396. puellae autem nomen erat Geltrude Angeloniae.

XXIII.

De obitu sponsae

Quae modo flaventi Beroë desponsa Menalcae
Conubii optatum flebat abesse diem;
Pro thalamo durum infelix est nacta sepulcrum,
Proque viri phaleris hic habet inferias.
Nunc tamen ad superas quod virgo adscenderit arces,
Gaudet virgineis addita sponsa choris.

(XXIII.) *Conubii.* hanc vocem Latini littera N. haud geminata vel contra Αναλογιαν scribebant. cur hoc? ut cacophaton vitarent. quale autem id esset, vide quae Tullius ludit de nomine fidicinis nobilissimi, qui Socratem fidibus docuit, in epistola ad Poetum, quae incipit *Amo verecundiam.* (Famil. l. VIIII. epist. 22.)

Phaleris. sunt haec mulierum quoque ornamenta. itaque in Petronii fragmentis Tragu. c. 55. Burm. legimus *Matrona ornata phaleris Pelasgiis.*

XXIIII.

Sponsae mors nuptiis interversis

Quum pater invitum Nisae sociasset Iolam,
Venissetque viri jam nova nupta domum;
Non potuit tantos pulcherrima Hyella dolores
Ferre, nec erepto vivere conjugio.
Sed veluti flos virgineo decerptus ab ungue,
Cum vita dulcis tabuit ille decor:
Tabuit ille decor, quo nil formosius ulla
Aetas, nil unquam vidit amabilius.
Occidis infelix primo sub flore iuventae,
Occidis heu nullo tempore digna mori!
Sed tua fama superstes erit, quotiesque viator
Praeteriens tumulum viderit et titulum,

Ille tuo lecto suspirans nomine dicet,
Pulcrior in terris nulla puella fuit.

(vIIII.) ex auctoris edit. Veneta p. 195. Haec vero matresfamilias addiscant, quarum negligentia puellae interdum amare clam incipiunt, pessimo fere exitu. nam aut intercepto, quod concupiverant, matrimonio, invidia ipsae et moerore contabescunt, aut certe ut potiantur, domum vel maculant vel funestant.

XXV.

Tumulus virgunculae

Pulcra Rhode hic niveo nuper tumulata sepulcro est,
Virgineo caeli virgo probata choro:
Parcite jam fletu sociae, jubet illa, puellae,
Et date purpureis mista ligustra rosis;
Nam mundi studium cultus brevis abstulit ignis,
Purior atque auris spiritus astra tenet.

(xIIII.) *Mundi cultus.* nempe illud munditiae nimis exquisitae cultusque amoenioris studium per iguem excoquendum fuit, ut Rhode in caelum reciperetur.

XXVI.

Laus Hylacis

Ante canes omnes pastori carus Amyntae
Nuper ab Illyrico littore missus Hylax,
Dum solitas agit excubias, et septa tuetur,
Nec vigilant socii cetera turba canes;
Qua rapidus sese media inter saxa Timavus
Mergit, et inde iterum prosilit amne novo,
Ille quidem saeva vitulos tutatus ab ursa est,
Ipse sed ingenti vulnere caesus obit.
Constituit viridi tumulum de cespite Amyntas,
Haec voluit raram praemia habere fidem.

Maesta gemunt armenta: mali furesque lupique
Exstincto hoc sibi jam cuncta licere putant.

(xv.) Leges in edit. Veneta Fracastorii aliorumque p. 374. nam et pastoralia saepe attigit Navagerius lepore miro, quemadmodum et Eglogae binae demonstrant, quas non sine voluptate percurres inter Bucolica auctorum xxxviiI. p. 433. quae scilicet Oporinus edidit Basileae anno M.D. xxxxvI.

xxvıI.

Laus capellae

Deliciae ruris quum pulcra periret Hyella,
Cum domina periit fida capella sua.
Non ipsam violenta lues, non aspera febris,
Sed dominae subita morte peremit amor.
I nunc et Pyladas et amoris nomine Orestas
Et jacta fidos, Graecia, Pirithoos.

(viiiI.) ex edit. Venet. p. 197.

Pyladas. de Pylade et Oreste claris amicis illa sunt Laelii apud Tullium: (de Amic. c. 7.) *Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvii nova fabula? quum ignorante rege, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur: Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret.*

Pirithoos. Amicorum insignium alterum par fuere Theseus et Pirithous: quorum frequens mentio apud poëtas. vide Horat. lib. iiI. od. 4. etc.

xxviiI.

De Cepotaphio Clarensi

Splendida te diae qua surgit Virginis aedes
Defunctum vita proxima septa manent.
Mitte leves curas: omnes cogemur eodem,
Victima quisque Orci nil miserantis erit.
Iam quid humi refert, an tu sublime putrescas,
Si nunc aurato syrmate prodis ovans?

Pulvis eris superas animus fac tendat ad arces,
Gaudebit solis hortulus exsuviis;
Et repetes pulcro spectandus corpore, quum te
Hinc virtus tollet iudice ad astra Deo.

(XIIII.) *Hortulus*, cepotaphium nempe, quo nomine sepulturae locus designatur, septo scilicet sive maceria clausus. nam hoc proprie Hortus Latinis, ut Κῆπος Graecis. tu vero legito de hac re, quae disertissime exposuit Mazochius, (Spicil. Bibl. T. III. a p. 219.)

CAPVT VII.

DOCVMENTA

Aptissima omnino ad commonendum carmina sunt, in primis quae brevia: nam ut opportune utamur, facile memoria retinemus, numeris ipsis modisque adjuvantibus, ne excidant; et iis, qui audiunt, animum acrius percellimus, ne dictum obliti negligant. haec vero Documenta nominavimus, quod fere consilium aliquod aut objurgationem aut exemplum aut praeceptum includant, officium cujusque requirant, desides ad virtutem hortentur.

I.

De Absalomo moriente

Dum vagus immissis fugit Absalomus habenis,
Fertur et ardenti pulverulentus equo;
Adspirant aurae, fluitantesque ardua quercus
Implicuit ramis, detinuitque comas.
Procurrit sonipes, celsa puer arbore pendet,
Hostis adest, tenerum trajicit ense latus.
Tum moriens, meus, inquit, amor, mea cura capilli
Sic mihi pro cultu redditis interitum?

(XII.) in auctoris lib. I. Inscr. et carm. p. 18. res autem tota nec graphice magis dici poterat, nec elegantius. nam quod pro tribus Ioabi lanceis scriptum sit *Ense*, favet satis Vossii Etymologicon, qui *Ensem* ab ἔγχος *hasta* dictum autumat.

II.

In tabulam Vandycki

Crudeli exstingui septenos funere fratres
Isacidas dirus dum jubet Antiochus,

Ecce alacris fortes praeclara occumbere morte
Mater pro patriis legibus adspiciens,
Macti, inquit, pueri, lacrimas ne poscito, caelo
Vos peperi, et meritos infero sideribus.

(XIII.) ex auctoris lib. Inscr. p. 408. legenda vero tibi quae de septem fratrum insigni martyrio narrantur l. II. Machab. c. 7.

II.

De S. Stanislai Kostkae exitu

Vltima dum properant Kostkae jam fata, neque ulla
Languentem medici sublevat ars puerum;
Non ille antiquae ut rediens ad commoda vitae
Absumpta in longum vivere tabe queat:
Non ille ut dulces colles camposque revisat
Kostkovi et carae littora Sarmatiae:
Tantum ut, o Virgo, tuos possit spectare triumphos,
Hoc petit, hoc precibus postulat, hoc lacrimis.
O mihi habere Deus vere det talia vota!
Tum si me velit occumbere, non renuo.
Qui luce hac sic oppetit, hujus nae ego mortem
Et vitae et regnis omnibus antefero.

(XXV.) ex lib. auctoris p. 107. nec displiceat illud *Iam fata*: nam sic de Fato Minutius Felix in Octavio (p. 101. edit. Sabaei) *Quod enim aliud est Fatum, quam quod de unoquoque nostrûm Deus fatus est!*

III.

De S. Aloisio Gonzaga

Nocturna invadit lectum tibi flamma, jacesque,
Gonzaga, in mediis ignibus incolumis.
Hoc vere est dictu mirabile; sed magis illud,
Nullis unquam te arsisse cupidinibus.

(II.) Habes in auctoris libro p. 25. huc vero pertinent quae apud Bollandianos de juvene hoc sanctissimo leguntur: (Iunii T. IIII. p. 990.) *Stimulum carnis tota vita sua non sensisse: cogitationem virtuti illi contrariam mente nunquam admisisse; licet alioquin temperatione corporis esset sanguinea, vivida et excitata.* tantum illi divinitus concessum est!

V.

De Regia Sacerdotum dignitate

Sceptra Sacerdotes quondam tenuisse feruntur,
Sive tua, o Babylon, sive, Canope, tua.
Fallor? an haec eadem noster sibi jura Sacerdos
Vendicat? hinc secto crine decorus apex?
Imo aliud majus; vel, si fas dicere, sed fas,
Divinum in tanto munere numen inest,
Cujus ad imperium caelique erebique repente
Clauditur, aut laxo cardine porta patet:
Naturae cui cedit opus, cui cedit et ipse
Mundi opifex, non tu hunc dixeris esse Deum?

(XVII.) ex auctoris operibus poëticis p. 492. *Vendicat*: ita scribunt qui verbum hoc a *venum* deducunt, unde est *Veneo* et *Venundo*; ac *Vendicare* proprie dici ajunt de dominio, quod emptione nobis acquirimus. contra Vossius (in Etymolog. p. 558.) semper *Vindicat* scribendum censet, a *Vi* et Dico, ac *Vindicationem* esse, qua vel rei nobis dominium asserimus, vel rem pignori nobis obligatam esse contendimus. vide reliqua apud eundem, quae disertissime exposita sunt.

VI.

Corolla e floribus ad puellam missa

Hanc, Rhodoclea, tibi vario de flore corollam
Mitto, mea in pratis quae modo plexa manu est:
Hic rosa narcissusque et rore madens anemone,
Liliaque alba nitent, caeruleae et violae:
His ornaque caput, submisso et dicito fastu,
Vt flos, deficiet sic mea forma brevi.

(vII.) Auctor vertit e Graeco Rufini Anthol. lib. I. c. vII. epigr. 126.

Deficiet: namque, ut Horatius ait, (Od. xI. lib. II.) *Fugit retro levis juventa et decor*, scilicet *pellente lascivos amores canitie*. id adolescentes minus advertunt, quia dies nempe alter priori similis videtur: postquam adoleverint, tandem agnoscunt quo ire pergant.

vII.

De Franc. Ginannio e vivis erepto

Qui mundi illecebras et opes et gaudia vana
Contempsti, doctis abditus in studiis,
Non ego te ploro immaturi turbine leti
Ereptum, o vita dulcior atque anima,
Francisce: unum me tristi hac in valle relictum
Me ploro unum singultibus adsiduis.
De te nam proprie quod vivas nunc pote dici,
Auctus qui aeternis es super astra bonis.
At me quaque die hic jam deficere atque moriri
Certum est, et fieri sentio et excrucior.
Quare mi lacrimae uni debentur, tibi vero
Plausus, virtutis praemia digna tuae.

(xxIII.) in auctoris l. II. carmin. p. 100. edit. Placent.

Turbine leti: *pro Lethi* plerique probant *Leti* a *Leo* deducentes, unde *Deleo*, quia omnia mors delet. consentiunt antiqui codices et litterati lapides.

Moriri pro *Mori*: recte, nam et quartae conjugationis *Morior* habetur, ut apud Plautum (Asin. Act. I. §. 1. v. 108. et apud Ovidium (Metam. l. xIII. v. 215.)

vIII.

De fruenda tuendaque re familiari

Disce frui partis rebus moriturus, et idem
Victurus rebus parcere disce tuis.
Ille mihi sapiens, qui rem bene miscet utramque,
Iamque opibus novit parcere, jamque frui.

(vII.) Expressum e Graeco Luciani Anthol. I. I. c. xiI. epigr. 6. in hanc rem vide quaeso Ofelli praecepta, rustici nempe Sapientis, quem Horatius inducit mira dictantem. (lib. II. serm. II.) item oden ejusdem decimam libri II.

VIIII.

Ovis lupum lactans

Cogor ovis lactare lupum, quem scilicet amens
Pastor saepe meis admovet uberibus.
Altus lacte meo me contra saeviet: ulla
Naturam nequeunt vincere promerita.

(vII.) e Graeco Anthol. l. I. c. xxx. epigr. 4. *Naturam nequeunt.* eodem spectant quae Horatius indicavit l. II. serm. vII. v. 73. item in epist. x. l. I. v. 24.

X.

Delibatis artibus in sapientiae studio conquiescendum

Hoc ne, puer, spectas, studio hoc petis atque labore,
Doctrinae ut prosis clarus honore senex?
Adspice, qui pulcras peregre lustraverit urbes,
Haereat ut sola mox catus in patria.
Sic age, majorum quidquid sollertia cudit,
Quaere ubicumque, artes nosce, reperta lege.
Hinc veluti edoctus peragratis urbibus hospes,
Siste, uni et totus reddere jam Sophiae.

(xIIII.) Sententiam invenies haud dissimilem in Excerptis Graecis, quae edidit Valesius. haec enim ille e Nicolao Damasceno sic vertit: (pag. 416.) *Disciplinarum orbem similem esse peregrinationi: nam quemadmodum iis, qui longam peregrinationem susceperunt, usuvenit, ut in quibusdam diversoriis prandendi caussa commorentur, in aliis pernoctent: et in nonnullis quidem locis plusculos dies consistant, alia vero obiter tantum ac praetergredientes adspiciant, tandem autem reversi in suis penatibus* degant; *ita etiam eos, qui humaniorum artium studia percurrunt, in quibusdam di-*

sciplinis brevius, in aliis immorari diutius oportere: et has quidem integras perdiscere, illas vero dumtaxat delibare, ac collecta singularum utilitate, ad philosophiam tanquam ad patriam ac lares reversos ibi considere.

XI.

De Sapiente hominum judice

Multi regna tenent digni servire: tenere
Dignum hunc regna premit sors mala servitio.
Intus ut est hominem Sapiens videt, inspicit in se
Qui sit, non quali quisque loco sedeat;
Et dominis famulos praefert, magnumque dynastam
Saepe inopi ridens posthabet agricolae.

(VII.) ex auctoris l. I. epigr. 51. *Quali quisque loco sedeat.* petita a theatro formula est, in quo quisque pro dignitate sedens spectabat. sic Horatius nescioquem de nobilitate sua gloriantem inducit: *At Novius collega gradu post me sedet uno.* (l. I. serm. VI. v. 40.) vide etiam quae de Mena Pompeii liberto habet, (Epod. od. IIII. v. 16) et Bentleium ad hunc locum.

XII.

De viri constantia

Nil fortuna virum laedit: quocumque cadat res,
Immotus firmo stat tamen ille gradu.
Fors varie circum ludit; dat, detrahit, extra
Quae sunt; prôrsum intus quod fuit, ipse manet;
Seque sua involvens penitus virtute, ruat si
Orbis, in extremo non pavet exitio.

(VII.) ex eodem auctoris libro I. epigr. 34.

Ruat si orbis. Horatianum illud simile, *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae.* (l. III. od. III. v. 8.) ceterum heroem hujusmodi, quidquid Sophi illi veteres jactarint, nusquam exstitisse credas, nisi idem integer vitae esset ac sceleris purus: qui pessime viverent, fatuos eos amentesque fuisse dicito, quicumque in vitae discrimine mortem non formidarint.

De Fortunae autem contemptu praeclara quaedam invenies in Cebatis tabula (p. 52. edit. Lugd. Bat. an. M.D.LXXXXVIII.)

XIII.

De infausta ditescendi cupiditate

Miraris, Grajae juvenes quod robora pubis
Aurum ausi ab Colchis per mare subvehere?
At mage quum lateant procul hinc Perueque Sinaeque,
Et magis Euxino trux fremat Oceanus,
Nonne illas penetrare tameu mercator ad oras
Ausus, ut externas serus haberet opes?
Divitiae miserae! atque auri male sana cupido!
Sic partum est homini, tristius ut pereat.

(XIIII.) *Ab Colchis*: hi ab ortu accolunt Euxinum Pontum: atque eo usque, ut cauit Catullus, (carm. LXV.) primi Argivi navigarunt, ut pellem auratam averterent. de Colchis autem sequioris aevi adi Busbequium de Legationibus suis. (epist. III. p. 202.)

Sic partum: legesis Ecclesiastici caput XXXI.

XIIII.

De vita rustica

Aeger ut Archippus, parvi modo cultor agelli,
Iam sibi supremum sensit adesse diem;
Dat pueris mandata: meus, mea pignora, hic esto
Vomer, et hic vobis omnia vota ligo,
Ne tumidi duros pelagi laudate labores,
Quaeve habet iratum mille pericla, mare.
Dulcis uti est genetrix, plagosa et saeva noverca,
Sic mitis tellus, aequoris unda fera est.

(XIIII.) ex Anthol. Stef. L. I. p. 74. auctore Antipatro. idem monuerat Theocritus epigr. VIIII. p. 145. edit. Cunich. Parmens. *Nauta scias vitae tempora pauca tuae.* adi vero et Stobaeum serm. CCXXII. *περι Γεωργιας,*

ὅτι ἀγαθόν. p. 755. nec praetereas Horatii oden (epod. 2.) quae vitae rusticae laudes complectitur.

XV.

De opificio Clarensium

Dum patulas sutor moros, clausaque teberna
 Vermiculos faber et serica fila crepant:
Dum sedet ad Serum vellus cum matre puella,
 Et neglecta colus lanificaeque manus,
Divitias miseri quid volvitis? omnia vana,
 Pensa nisi haec vestrûm Gallus et Anglus emant.
Tutius hic meliusque datum producere vitam,
 Quisque artem atque agrum si colat ipse suum.
Mollia namque domi tibi quid velamina prosint,
 Pauperies si te torqueat atque fames?

(xiiiI.) Vera canit vates, sed surdis canit. futuri spes lucri plerosque allicit opificio ejusmodi minime aptos: qui dum vicinis invident, et cum his certare volunt, imperitia operis ea quoque amittunt, quae tenent.

XVI.

Quae bonis moribus officiant

Macte, puer, virtute: novum crescentibus annis
 Ipsa decus verax addere fama queat.
Sed socios fugias famosos, sed mala vites
 Colloquia, et pravo quisquis amore tumet.
Ni caveas; primo frustra bene vixeris aevo;
 Illa boni sensim mentem animi inficient:
Quique probus vita nunc gaudes puriter acta,
 Heu miser, ingenuo grandis honore cades.

(xiiiI.) *Famosos:* hi qui dicantur, illa indicant apud Tullium (lib. II. de Orat. c. 68.) *Quum Q. Opimius Consularis qui adolescentulus male*

audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esset, dixisset, Quid tu, Egilia mea, quando ad me venis cum tua colu et lana: Non pol, *inquit,* audeo: nam me ad famosas vetuit mater accedere.

XVII.

De puella mirae modestiae

Perge, Agape, levium sociarum spernere morem,
Perge, o compta bonae matris ad arbitrium:
Immissas oculis ne comas fluitare capronas
Addecet, et vultu quae proba virgineo,
Et gravis incessu quae servet casta pudorem,
In propriis melius docta nitere bonis?
Frons aperit tua sensa: animus sic eminet insons,
Et vitam ducas quam bene, fronte lego.

(XIIII.) *Comas capronas:* sic teste Nonio dicuntur comae, quae ante frontem sunt, quasi a capite pronae, quibus hodie, quantnm est puellarum fatuarum maximé delectantur. nec tamen inventum hoc novum est. audi Lucilium: (in fragm. Satyr. lib. VII.)

Aptari caput, atque comas fluitare capronas
Altas, frontibus immissas, ut mos fuit illis.

verum apud Graecos artifices, qui melius norant quid pulcrum formosumque esset, nullum moris hujus vestigium reperias. (vide Vinkelm. l. v. c. 5. stor. dell'art. del disegno) apud Aegyptios id moris fuit ex superstitione; ut altera capitis parte rasa, altera comata procederent. (idem Mon. ined. vol. II. pag. 102.) num et hunc morem sibi aliquando imitandum aetas nostra duxerit!

XVIII.

Nihil in hac vita prae caelestibus amore dignum

Quid nos pulcra juvat species, quid detinet auri
Splendor et adsiduo parta labore quies?
Omnia tempus edax quae perdet, nec dabit ulli
Quod secum aeternam perferat inde domum.
Adspicite, o cives, caelo quae cuique parata:
Haec bona, nec vobis auferet ulla dies.

(XIIII.) ex auctoris libello de patria caelesti. haec vero cogitare juvat, quoties aut voluptatis insano quodam studio abripimur, aut improba divitiarum cupiditate flagramus.

XVIIII.

De forti viro ex pugna saucio

Nobilis adverso prodis dum vulnere primum
Aureli, et fuso sanguine repis adhuc,
Publica quid metuis spectacula? vel pede tardo
Conspectum in gentis perge venire tuae:
Hoc avet illa; tuis etenim quid debeat ausis
Novit, et invicti discupit ora viri,
Ora videre, inquam, clarum quo vindice nomen
Libertasque manent et populi et patriae.

(XIIII.) Adversa vulnera vel ornamento sunt fortibus viris. itaque apud Tullium (l. II. de Orat. c. 28.) laudavit Antonium Crassus, quod *in caussa peroranda non dubitavit excitare reum Consularem, et ejus diloricare tunicam, et judicibus cicatrices adversas senis imperatoris ostendere.*

Publica quid metuis: sic olim Sp. Carvilio graviter claudicanti ex vulnere ob rempublicam accepto, et ob eam caussam verecundanti in publicum prodire, mater dixit, (apud Tullium ibid. c. 61.) *Quin prodis mi Spuri? quotiescumque gradum facies, toties tibi tuarum virtutum veniat in mentem.*

XX.

In effigiem pueri

Septennis puer hic torva quam fronte minatur,
Asper, acerba tuens? nesciit iste metum.
Nec mage districtos enses vel fulmina belli,
Aut fremitum horrebat quadrupedantis equi:
Arma ausus tractare, ocreas galeamque comantem,
Indoluit, parvo quod minus apta forent.
Optabat, teneris aetas accederet annis;
Quum palmas cupido mors cita praeripuit.

Nec factum male: quippe boni quid spondeat audax
　Mens animi in puero, praecoce et ingenio!

(xiiiI.) Erant haec in puero septenni furoris initia, et animi imprudentis infaustae significationes, quas opportune mors intervertit. habemus quidem similia nonnulla de Honorio puero, quum eum redux de pugna pater Theodosius, armatus etiamtum, complecteretur, quae Claudianus adulto jam et Augusto sic commemorat: (Carm. vII. v. 29.)

Ille coruscanti clypeo te saepe volentem
Sustulit arridens, et pectore pressit anhelo
Intrepidum ferri, galeae nec triste timentem
Fulgur, et ad summas tendentem brachia cristas.

verum quid puer Honorius metueret, qui patrem nosset, sibique blandientem videret?

xxI.

Pax Italiae parta

Detonuit bellum, et terras Pax alma revisit:
　Ecce interruptum rusticus urget opus:
Ludo iterum ac studiis gaudet revocata juventus,
　Et grata artifici pensa, laborque placet.
Haec tamen, Ausonia, haud speres mansura, retrorsum
　In sua ni properet limina Relligio:
Sola redux placare Deum tibi possit, abacta
　Quae prius iratum reddidit una Deum.

(xiiiI.) Non poëtae magis hic sensa habes, quam omnium, quos maxime suspicimus, sophorum animum judiciumque. erat quippe hoc Italorum flagitium inexpiabile, quos Deus summo Religionis suae beneficio sibi quasi exsortes devinxerat, finibus suis tantum impiorum perdiu aluisse; nisi illud denique tot victimarum funeribus et probrosorum hominum interitu deleretur.

CAPVT VIII.

LVSVS

Multa saepe numero ludunt poëtae carminibus suis quasi exleges: itaque versuum eorum quae sit certa sedes, vix tecum statuere possis. haec igitur Lusus *appellare placuit, de quibus olim junior Plinius (lib. VII. epist. 9.)* Fas est, *inquit,* et carmine remitti, non dico continuo et longo, sed hoc arguto et brevi: Lusus vocantur, sed hi Lusus non minorem interdum gloriam, quam seria consequuntur. *hos ergo capite comprehendimus, quae in superioribus locum habere non videbantur.*

I.

De Arrio hiante

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, et Hinsidias Arrius insidias.
Et tum mirifice sperabat se esse loquutum,
Quum quantum poterat, dixerat Hinsidias.
Credo sic mater, sic Liber avunculus ejus,
Sic maternus avus dixerat atque avia.
Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem haec leniter ac leviter.
Nec sibi postilla metuebant talia verba;
Quum subito adfertur nuntius horribilis,
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

Carmen est miri leporis inter Catulliana octogesimum quintum.

Postilla: apud Ennium quoque littera ultima longa est. (vide Cicer. de Divinat. lib. I. c. 20.)

Postilla germana soror errare videbar.

lege autem quae habet Pontedera (epist. II. p. 17.) cui *Illa* ablativus casus est, nempe *Illa re posita*. ceterum hic longa haberi potest vel ob liquidam M, quae sequitur. perlege infra lib. II. cap. VII. quod numero I. adscriptum reperies. quamquam hic quoque exemplum habes, quum in versu Enniano ultima in *Soror* longa sit propter liquidam R.

II.

In ingratum

Desine de quoquam quidquam bene velle merere,
  Aut aliquem fieri posse putare tuum.
Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne est,
  Imo etiam taedet, taedet obestque magis:
Vt mihi, quem nemo gravius nec acerbius urget,
  Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

Ex Catullo hoc quoque num. LXXIIII. Quae autem hic poëta de ingrati hominis injuria conqueritur, merito iis obvenire videas, qui beneficium, ut in proverbio est, foenerantur. hi certe cuicumque benefecerint, ab officio discedunt, gratiam ab eo si exigant. neque enim ullam mercedem vera virtus desiderat, ne laudis quidem et gloriae, quum se ipsa contenta esse debeat. tu vero, Christiane, bene collocaveris beneficium, quando vel alienissimos Dei caussa juveris.

III.

De Andragorae morte

Lotus nobiscum est, hilaris cenavit, et idem
  Inventus mane est mortuus Andragoras.
Tam subitae mortis caussam, Faustine, requiris?
  In somnis medicum viderat Hermocratem.

Ex Martiali lib. VI. epigr. 53. ut rideas. *Cenavit*: ita scribendum, non ut plerique, *Coenavit*. nec obstat, quod *Cena* a Θεινη aut a Κοινη sit: multa hujusmodi non ratione, sed consuetudine nituntur: ac litterati veterum lapides exhibent *Cena*, *Cenare*, *Cenacularius*, *Cenaculum*, *Cenato-*

rium. vide in primis Acta fratrum Arvalium a Marinio illustrata (vol. I. p. 286.)

IIII.

De formica succino inclusa

Dum phaëthontea formica vagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.
Sic modo quae fuerat vita contempta manente,
Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

Item ex Martiali hoc lib. VI. epigr. 15. *Dum phaëtontea* : id est *Solari.* nam phaëton a Φαέθω *splendeo.* itaque splendentem Solem ora phaëtontea dixit Silius. (lib. X. v. 110.) propterea epigramma non repudiavimus; nam vel sine fabulae mentione sententia stat.

Succina gutta pro *Succinea.* Succinum sive electrum intellige. de ipsa formica te legisse non poenitebit quae habet Aldrovandus de Insectis lib. V. cap. I.

V.

In virum uxori obnoxium

Vxsori servire negas te, Pamphile, nunquam
Impegit capiti quod soleam illa tibi;
Saeva nec insana fecit convicia lingua,
Nec liquit surdas pervigilem ante fores.
Blanda sed inducit quo vult. heu falleris, atque
Mitem fers dominam, Pamphile, sed dominam.

(VII.) Expressit auctor e Graeco, quod Anthologia habet lib. I. cap. XVIII. n. 4.

Convicia. audi Tullium: (pro Coelio c. 3.) *Contumelia, si petulantius jactatur, convicium, si facetius, urbanitas nominatur.*

VI.

In Cynicum

Barbigeri illa ingens Cynici sapientia nuper
Quanta foret, mensa vidimus apposita;

Quippe etenim a raphano abstinuit tristique lupino,
Virtutem dicens morigeram esse gulae
Non decet: at bulbum simul ac adspexit edulem,
Haud ultra texit vim sophiae eximiam:
Porrexitque manum cupide, arreptumque voravit,
Bulbum et virtuti nil ait officere.

(vI.) e Graeco Anthol. lib. II. c. LII. epigr. II. *Barbigeri Cynici*: lege, si vacat, Antonii Notomanni Dialogum de Barba, cujus editionem iteravit Pitiscus. (in Lexico suo.)

Porrexitque manum cupide: hic vero Cynicus sophus haud parum ab Antisthenis sectae illius principis moribus et virtute deflexerat: de quo Xenophon apud Laërtium (lib. vI. p. 141. edit. Aldobr.) in colloquiis quidem suavissimum fuisse ait, ceteris autem in rebus continentissimum.

Bulbum edulem. de Bulborum apparatu vide Apicium de re culinaria. (lib. vII. c. 12.) sunt autem Bulbi radices herbarum in caepae modum rotundae et tunicatae, e quibus in pretio fuere, qui *Megarici Bulbi* dicebantur ab Achajae urbe, unde adlati fuerant, quos Cato (R. R. c. 8.) aliique laudant.

vII.

De Asclepiade avaro

Mus Asclepiadae tecta intra visus avaro est,
Qui metuens damnum, quid tibi quaeris, ait:
Cui mus subridens, parce o bone, parce timori;
Non victum quaero te penes, at latebram.

(vII.) e Graeco Lucillii Anthol. lib. I. cap. L. epigr. 22. hasce avari sordes Μικρολογιαν appellat Theophrastus: (in Eth. Charact. p. 32. edit. Casaub.) ut si quis ficum de suo horto a nemine gustari velit, neminem per fundum suum transire, aut ullam cadivam oleam palmulamve auferre: et quae sunt hujusmodi.

vIII.

De Alexandro Lysippi

Mire opifex Lysippe! oculis ex acribus ignem
Aerea Pellaei vibrat imago Ducis.

Ignosco Persis: quis viso armenta leone
  Miretur celeri vertere terga fugae.

(viI.) e Graeco Possidippi Anthol. lib. iiiI. c. viiI. epigr. 26. ceterum a leone quidem armenta fugient, at non ab ariete. ergo minus commode comparatio facta sit, si quidem illum tamquam Hammonis filium cum arietinis cornibus effinxerat Lysippus, qualem in nummis interdum videre est, qualemve se Alexander ipse ad matrem scribens jactavit. (vide Gellium N. A. lib. xiiI. c. 4.)

viiiI.

In Scaligeri opus de emendatione temporum

Tempora castigat dum Scaliger, ipse pudendis
  Edidit errorum turpia scripta notis,
Quid facias medico, qui morbida corpora curans
  Nec levat, et morbi contrahit ipse luem?

(xviI.) in auctoris operibus poëticis p. 494. cui non adnotum insigne Petavianum de Doctrina temporum opus? quo in opere quam saepissime Scaliger Iosephus vapulat.

x.

De Iungi scriptis tristitiam cientibus

Ante diem auxifera si quis tabescere cura,
  Perdi et amat miseris sollicitudinibus;
Iunge, tuum carmen noctes et verset amaras
  Rupe sub, horrenti conditus aut nemore.
Me teneant Graji vates, vatesque Latini,
  Quosque Arni ad ripas educat Italia.
Horum laetifico tristis mi carmine moeror
  In nubem, aërios et fugit in zephyros:
Spes redeunt, dulci trepidant praecordia motu,
  Totaque mens pulcris ridet imaginibus.

(viI.) ex auctoris lib. v. epigr. n. 85.

Iunge: Odoardum Iungum appellat poëta noster, et Noctes ejus vi-

ginti quatuor aliaque ab eodem relicta poëmata aversatur: quae adeo funesta sint terrorisque plena, ut moestitiam cuique inferant, omnemque animis vel laetitia gestientibus hilaritatem plane ac suavitatem eripere possint.

Ea tamen vir sapiens sic legat, ut multa quidem non improbet, et non pauca reprehendat: nec animo tamen concidet, edoctus antea, nos hic vivere oportere peregrinorum more, qui patriam spectant, nec beatos ubicumque terrarum et gentium esse homines posse; quippe qui mortales nunc sint, iisque omnibus una denique illic vita eaque immutabilis proposita est, ubi apud Deum, a quo ad immortalitatem conditi sumus, siquidem promeriti fuerint, aevo sempiterno fruantur.

XI.

De amore erga patriam

Non ego sum pugnae adsuetus nec fortibus armis,
Et tamen audaci pectore bella geram:
Confertas turbabo acies, densosque per hostes
Deferar, et praeceps in mea damna ruam.
Vivere quippe aliis, Venetis ea denique vere
Vita est, pro patria decubuisse sua.

(XV.) post Giovenazzii poëmata invenies p. 87. nec vero falsa laus, quam poëta Venetis tribuit, quorum sane virtute factum est, ut ad ultimam senectutem prope incolumis Respublica perveniret. egregia ducum clarissimorum facta gravissimi scriptores memoriae tradiderunt. ex his vide quae Verdizzottus congessit in libros XXVI.

XII.

Ad Ioannem Cottam Veronensem

Pars non parva meae quondam, mi Cotta, salutis,
Cotta sodalitii primaque cura mei,
In studia o quoties ego te lususque vocavi,
Has scio jam nugas perplacuisse tibi.
Non tamen absisto, quin toto pectore amem te,
Tam tuus et nunc sum, quam tuus ante fui.

Nec locus aut tempus tanto me abjunget amore,
Quin et amem et cupiam dimidium usque mei.

(xx.) In auctoris lib. III. epigr. p. 500. qui haec Roma ad Cottam scripsisse videtur, memor amicitiae, quam cum ipso inierat, antequam urbem cogitaret. de ipso autem Cotta praeclaro adolescente, quum otium fuerit, fac evolvas, quae Maffejus (Ver. Illustr. P. II. p. 210.) perscripsit, et quae item Tiraboschius attigit. (T. VII. P. III. p. 230.)

XIII.

In aera vicinae turris

O quae terrificos vicina e turre cietis
Tot nocte aera sonos tinnula, totque die;
Si mihi venturae noctis dormire licebit
Per tot tinnitus particulam misero,
Nec quum defessos jam jam continget ocellos,
Vos metuet subito, diffugietque sopor:
Ipse ego cras vobis ultro tortique rudentis
Spiras et firmo e robore fulcra dabo;
Tutius ut sonitu boreamque lacessere saevo
Possitis posthac et maria et tonitrus.

(v.) ex auctoris edit. Iuntarum p. 24. *Aera.* haec sequiori aevo *Nolae* aut *Campanae* dicta, ex quo Paullinus in Campania Nolae Pontifex ad sacra transtulit. at veteres et *Aera et Pelves et Lebetes* appellabant. *sonat aes thermarum* dixit Martialis. (lib. XIII. epigr. 163.) tu vero percurre egregium de Campanis opus Angeli Roccae. (T. I. p. 155.)

XIIII.

In decoctorem

Noli admirari, cur Prabia iugera vendat
Pollinus: in promptu caussa parata sibi est:
In primis damnosa nimis vicinia Sarcae est;
Idcirco dixit, Sarcias unda vale.

Praeterea horribilis flabat per pascua ventus:
Vir bonus haud poterat tot mala ferre diu.
Illum cura domi, illum prati cura gravabat:
Distabat nimium villula ab oppidulo.
Nunc penitus totas dimisit pectore curas,
Atque idem vacuus nunc foris atque domi est.

(I.) Reperies in auctoris edit. Veron. p. 150. idque leporem habet omnino Catullianum.

Sarca fluvius est agri Tridentini in alpibus supra Camulos. prope Arcum tractus est *Pravi* vulgo dictus, unde *Prabia iugera*. *abluvium* vero horrebat Pollinus, quod, ut ait Goësius (in Ind. rei agrar.) abradit terras, quas contra *alluvium* adiicit.

Huiusmodi decoctores lex Roscia notavit, qua certus locus in theatro constitutus his est, ne sederent in quatuordecim ordinibus, quamvis quis fortunae vitio, non suo decoxisset. (Cic. Phil. II. c. 18.)

XV.

De pueris Clarensibus Lotophagis

Eja agite, o pueri, jam Loti bacca nigrescit;
Octobresque idus dulcia dona ferunt.
Cui robur, pilum is contorqueat: arbore ab alta
Poma pluent, socii quae bene poma legant.
At memores legem servate: sinu abdere baccas,
Aequa prius sit pars quam data cuique, nefas.
Mutuus ut labor est, fore sic vindemia debet
Mutua: dedecorat subdola dextra probos.

(XIIII.) Sunt quidem pueri hi nostri Lotophagi, nec tamem Africani alia nempe Lotos est nobis, quam alio item nomine *Fabam Graecam* majores appellabant, cerasorum paene natura, sed baccis nigricantibus, iisque perpusillis. lege quae Plinius habet. (H. N. lib. XIII. c. 17. lib. XVI. c. 30. et lib. XXIII. c. 2.) fructum autem plane silvestrem jure dixeris: sed tamen ejus suavitate pueri hi nostri mire capiuntur. porro de Loto diversarum regionum percurre, si vacat, quae Salmasius accurate disputavit. (in Plin. Exercit. ad Solinum Vol II. p. 1038.)

xvI.

De inani puerorum venantium metu

Fallebant visco pueri calamisque volucres
Telephus et Nicon, dum brevis umbra foret.
Post sepem at pascens decerpsit bucula frondes,
Et quae terret agros credita utrique fera est.
Diffugiunt pavidi, trepidat nil noctua, ridet
Haec vafer adspiciens haud procul agricola:
Mox redeunt, atque esse negant fugisse pudori,
Quippe ambo vitae consuluere suae.

(xiiiI.) *Credita utrique fera est.* Leaenam aut alio etiam nomine dixere quidam belluam praegrandem, quae vicinis in agris an. m.dccc.xI. per autumnum visa, multis terrori fuit, puerumque semel adorta semesum reliquit: quam demum venatores duo confecisse dicuntur, sed fama incerta.

xvII.

De corvo illaqueato

Hospes corve, horti vexator inique virentis,
Cui nihil intactum, nil fuit innocuum;
Solvisti poenas sude tandem nexus ab alta,
Vt meritus: frustra corve nequam crocitas,
Et frustra pedibus laqueum frustra ungue lacessis:
Enectus dura sic moriere fame:
Fur idem ut fures doceas meminisse, paratam
Infidis poenam iam sibi persimilem.

(xiiiI) De Corvino genere multa elegantissime congessit Aldrovandus, quae nosse delectet. (Ornithol. lib. xvI.) similis autem argumenti carmina, nec uno metro, habes apud Giovenazzium, quae priscam plane Latinorum venustatem referant. (Poemat. lib. p. 7.)

Infidis poenam. vide Anton. Mattejum de Crimin. c. iiI. de furtis n. 1. par enim in eos poena constituta est, qui dominos suos compilarint.

LIBER II.

Absit ut umbra Deus tibi sit geniusve locusve,
Aut Deus aëreas volitans phantasma per auras.
Sint haec barbaricis gentilia numina pagis:
Quos penes omne sacrum est, quidquid formido tremendum
Suaserit: horrificos quos prodigialia cogunt
Credere monstra Deos.

Prudentius lib. I. contra Symmachum v. 447.

PROOEMIVM

Versus hendecasyllabi, qui et Phalecii aut Phaleucii a Phaleco auctore dicti, Latinis quoque veteribus placuere. Catullus in primis, Statius, Martialis, Boëthius adamarunt. nec his minus delectati sunt majores nostri, quo tempore bonarum artium studia viguerunt. atque omnes quidem non immerito: in hoc enim scriptionis genere, quae ad argumenta pleraque aptari commode possit, ingenua quaedam simplicitas fere elucet ac lepor blanditiis maxime idoneus, si quis Latine ac presse rem persequatur, quam tractat. nihil sane nostri illi superioris aetatis poëtae ab antiqua illa venustate abierunt: quorum carmina quum legas, veterem aliquem a te legi arbitrere: adeo elegantiam magistrorum imitati adumbrarunt, eorumque quasi colorem et lineamenta reddiderunt. id vero tu facile in aevi etiam nostri exemplis agnosces, qui vestigiis eorum ita institerunt, ut et laudem aequasse videantur: quorum utique copia uberius usi essemus, nisi consilium illud nostrum, de quo superius dictum est, ratum nobis firmumque fuisset, ne quid huc induceremus, quod a Christiana religione sacrisque nostris alienum haberi posset. perraro nempe hi poëtae nostri, quum ab ipsa pene pueritia insano quodam vetustatis amore atque studio abrepti fuissent, a Camoenis suis et Iove et Apolline ceterisque fabulis abstinuere: susque deque habentes quid ederent, dummodo Latina et compta proferrent:

fortasse etiam existimantes, tum se demum ad veterum formam atque speciem scribendo accessisse, quum eorum commenta atque monstra cum rebus quibusque seriis ac gravibus uberius permiscuissent.

At nos quidem, quaecumque futura quorundam opinio sit, in his prudentis viri judicium semper spectabimus: quum omnes jure in scriptis quibusque sententiam scribentis atque animum prope ipsum sensa sua prodentem requirant. utinam ubique qui scholas regunt, in hanc denique mentem conspirent, ut vel umbra priscae superstitionis eliminata, ejusmodi tandem poëmata et condantur a singulis, et probentur ab omnibus, quae nec levitatis nos apud posteros insimulent, et nostrae aetati plus aliquid sapientiae ac dignitatis fuisse declarent. hoc simul efficient, ut nostrorum hominum ingenia acuantur, et ex iis existant qui inventione poësim amplificent, ac fines ejus latius prorogasse existimentur.

Quod reliquum est, quum graviora his studia pleraque sint, diuturnique magnis de rebus doctissimorum hominum labores multo magis probari debeant; nemo tamen severos viros aut certe non ineptos accuset, si quando iis versibus delectati videantur. neque enim id vitio vertendum est, sed laudi dandum, subsecivi aliquid temporis eos et versibus tribuisse, ne eorum auctoritate careremus: ac fuerunt revera, inquit Plinius, (1) maximi etiam oratores, qui hoc studii genus et in oblectationibus habuere, et in laude posuerunt.

(1) (Lib. vII. epist. 4.)

ELECTORVM

LIBER II.

QVI HENDECASYLLABOS EXHIBET

EX VTRAQVE COPIA

VETERVM ET RECENTIORVM POETARVM

PARTITIONIS CAPITA OCTO

CONTINENTVR

Primo

DEDICATIONES

Secundo

VOTA

Tertio

GRATVLATIONES

Quarto

TITVLI

Quinto

ELLOGIA

Sexto

EPITAPHIA

Septimo

DOCVMENTA

Octavo

LVSVS

QVOD BONVM FAVSTVMQVE SIT

Quo superius ordine epigrammata digesta sunt, eodem procedent Hendecasyllabi capitibus totidem comprehensi. nam et hi apud veteres cuique argumento idonei visi sunt. itaque de his Plinius, *His jocamur*, inquit, (lib. IIII. epist. 14.) *ludimus, amamus, dolemus, querimur, irascimur: describimus aliquid modo pressius, modo elatius: atque ipsa varietate tentamus efficere, ut alia aliis, quaedam fortasse omnibus placeant.* eodem autem modo nostri quoque poëtae eos adamarunt, et tam ad seria, quam da ludicra tractanda vel aptissimos putaverunt.

CAPVT I.

DEDICATIONES

Etsi alia quaeque interdum, libros tamen hoc versuum genere potissimum dedicari, mos apud veteres fuit. prior hoc stilo Catullus libellum suum Cornelio Nepoti se donare scripsit: eumque non semel in libris suis imitatus Martialis est, imitatus et Ausonius. tum autem probantur vel maxime Hendecasyllabi, quum blanditiis utendum est, et elimari aliquid ad tenue, aut lepide ac festive tractari opus sit.

I.

Pyramis Deo dicata

Sit haec Pyramidos superba celsae
Quae surgit facie triplex rubenti
Moles et proprior tuetur astra,
Sit uni sacra Numini, quod unum

Novimus colimusque Christiani:
Omnes Relligio una quos beato
Iunxit foedere iamdiu, et profanis
Secretos sibi alit fovetque alumnos.
Sub hac condidimus Iovem, Saturnum,
Plutonem, Venerem, Evium, gemellos
Fratres Mercuriumque conjugemque
Iovis cum Berecynthia atque Vesta
Neptunoque patre, Herculem, Minervam,
Martem Mulciberumque Apollinemque,
Dianam, Cererem et novem Camoenas,
Ac quidquid male somnians Deorum
Graecia extudit et furens Canopus.
Aeternis Satanae procul iubemus
Hinc te progeniem ignibus cremari,
Extorrem patriaque sedibusque,
Quae nos perpetuum manent in aevum.

(xiiiI.) Pyramidum Aegypti miracula memorat Martialis. (epigr. I. de spectac.) uti vero illae, ita haec nostra sepulcralis est, verum trilatera ad summum Religionis nostrae mysterium indicandum: quod Christiani veteres aliquando per Tridentem circulo inclusum significarunt. (vide Olivieri Marm. Pisaur. p. 66. et 201.) at de ipsis molibus apud Aegyptios, si quid accuratius cognoscere aves, lege praeter Bianchinium (Hist. univ. Dec. iiI. c. 20.) aliosque nonnullos, lege, inquam, quae Bossuetus exposuit (de Hist. univ. P. iiI. n. 3.) et si fas, Gravii Pyramidographiam.

Christiani: hoc nomine majores nostros primi appellarunt Antiocheni, qui sunt ad Orontem. subinde sic eos Latini designarunt, Svetonius (in Ner. c. xvI.) Tacitus (in Annal. lib. xv. c. 44.) Plinius junior. (lib. x. epist. 91.)

iI.

Ad Ignatium Boncompagnium

Ignati, hunc tenuem tibi libellum
Mittit ille tuus malus poëta,

Sed cultor bonus et cliens fidelis,
Longe hinc Felsineis morantem in oris,
Qui te cogitat usque et usque, amatque,
Quamvis litterulis tibi molestus
Nolit esse, sui vocans doloris
In partem, et lacrimis genas rigare
Cogens, quem cupit omnibus manere
Plenum laetitiis, fruentem et omni
Vitae perpetua beatitate.
At si dent superi boni, ut procellae
Ponant, et facili ferantur aura,
Partem laetitiae dabit fruendam;
Mittens litterulas, eritque rebus,
Dulci ne gravis accidat patrono,
Adversis tacitus, loquax secundis.

(vII.) Ex auctoris libro Hendecasyll. n. xI. scripta haec, quum Societas Iesu ruere ad interitum videretur. Bononiae autem tum versabatur vir clarissimus Ignatius Boncompagnius reipublicae caussa: quem deinde Pius vI. Pont. max. in Collegium Patrum Cardinalium cooptavit. sed vir praestantissimus, quum integerrima aetate, optimo habitu, ingenio, honoribus, opibus floreret, non sine bonorum omnium moerore ereptus Ecclesiae est an. M.DCC.LXXXX.

IIX.

Addictio libelli honoraria

Tantillus liber est meus, levique
Vix lima et tenui politus arte:
Nec tamen tibi quispiam disertus,
Magne o Rezzonice, explicare possit,
Quamdiu domino suo molestus,
Et quantum fuerit, sibi ut potestas
Per doctas fieret manus eundi,
Vt fratri data nuper est utrique.

Nam fecit stilus impudentiorem,
Dum notam vitiis libens inurit,
Immunem et fore se notae arbitratur.
Hinc mirere minus, puto, quod ausus
Tarpeium modo cogitare clivum,
Istuc repserit ad tuos penates,
Hoc ultro sibi ut ipse postularet,
Honori et meritis tuis dicari;
Tu quamquam pater elegantiarum
Audis, nec rude quid tibi placere
Incomptumque queat: bonum, volentem
Nam scit te domino suo favere.
Nec stulte decus autumat perenne
Et famam populos apud potentes
A tuo sibi nomine adfuturam.
Tecum quippe vias inire longas
Fas sperat sibi ad ultimos Britannos,
Et septem prope qua nitent triones;
Fas et regificas videre moles,
Quas nunc Sarmaticis potens in oris
Educit Katharine amica musis,
Et nata imperio beare regna.
Atqui ego improbulum, domi ut lateret,
Bis terque admonui, abdidique in arca:
Nequicquam; domini sigilla fregit,
Tecto et prosiliens ad officinam
Recta se retulit Giunchianam:
Charta uti nivea elegantibusque
Pulcher inciperet nitere formis.
Quid nunc si potuit tuum subire

Limen et pluteis locatus altis
Me ridet, revocem, aut querar receptum?
Odisse hunc nequeo, domi quod idem
Ait se modo tertium exstitisse.
Quare hunc tu bonus atque me tuere
Qua soles trepidos benignitate;
Nec si nomine sub tuo vigemus,
Tanto te pigeat juvare honore:
Nam laus tota tua est favore famam
Obscuris dare rebus, atque dona
Plus uno tua prorogare saeclo.

(XIIII.) Praeposuit haec auctor libris duobus Sermonum suorum, quos, ut vides, summo viro Abundio Rezzonico Senatori Vrbis, cujus aedes Senatoriae in Capitolio sunt, dedicavit: longis quoque itineribus commemoratis, quae ille suscepit eruditionis doctrinaeque caussa.

Vt fratri utrique. bina auctoris opera indicantur, quae ante Sermones ediderat, primum de Stilo Inscriptionum Latinarum, alterum quo Inscriptiones ejusdem continentur.

Ad tuos penates. nihil haec ad veterem superstitionem. perinde est, ac si scriptum fuisset *ad tua penetralia.* a *penitus* est penetro, et *penas* est abditus. hinc deinde appellati Dii, qui adytis clausi, sive in penitis aedibus servati. vide Vossii Etymolog.

Amica Musis: id est amans litteras et bonas artes. Μȣσα, inquit Hesychius, τεχνη. Suidas vero, Μȣσα ἡ γνωσις απο τȣ μω, quod est quaero. haec antiquiora sunt, quam novem Camoenae.

IIII.

Sub imagine Ioannis Nanii Pont. Brix.

Spirat effigies boni Parentis,
Nani Pontificis mei hospitisque,
Magna qui populos benignitate
Rexit unanimes, opisque egentes
Multos subsidio suo levavit.
Alexis propriam viro hanc dicabam

Omnium merito libens honorem,
Quo te, Brixia, Pax reliquit anno,
Totaque Italia repulsa cessit,
Atque herum doluit novum placere.

(xiiiI.) Decessit magnus hic Pontifex ac de Ecclesia Brixiana optime meritus x. kal. Novembr. an. m.dccc.iiiI. cui ea quoque jam laus tribuenda, quod nec secundis unquam rebus elatus est, nec animum adversis abjecit.

Quo te, Brixia, Pax. neque enim novos jam mores probare multorum Pax poterat, ab iis plane alienos, a quibus Brixia olim commendabatur, quum superstitione etiamtum infecta esset. Plinius certe de Minutio Aciliano ad amicum scribens. (lib. x. epist. 14.) *Patria,* inquit, *est ei Brixia ex illa nostra Italia, quae multum adhuc verecundiae, frugalitatis, atque etiam rusticitatis antiquae retinet ac servat:* ejus nempe *rusticitatis,* cujus laudes Tullius egregie persequitur in orat. pro Roscio Amerino. (cap. 27.)

V.

De arbore poëtae aequali

Vitam mi puero precata mater
Parem toto animo arbori futurae,
Me primum gravis hanc manu suapte
Sevit, Omnipotens, tibi dicatam,
Tuo cresceret ut sacrata honori.
Mox humi e gremio hac ego virente
Dicor aetherias puellus auras
Hausisse. ex senio modo albet arbor,
Et canis ego candeo capillis.
Nunc quis exitus instat utriusque?
Absumet citus arborem ignis urens,
Quippe aevum Deus huic dedit caducum:
At volans ego, frondibus relictis,
Ibo ad perpetuam beatitatem;
Quod caelo genitum superna caelo
Hinc me praemia jam manent merentem.

(XIIII.) Non pudet adscribere, quae Tullius ipse in tenebris vidit, et de animorum immortalitate praeclare sensit, (Tusc. Quaest. lib. I. c. 27. ex libro ejus *de Consolatione* desumpta, quem amisimus.) *Animorum*, inquit, *nulla in terris origo inveniri potest. nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur: nihil ne aut humidum quidem aut flabile aut igneum. his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat, et futura provideat, et complecti possit praesentia, quae sola divina sunt. nec invenietur unquam unde ad hominem venire possint, nisi a Deo. singularis est igitur quaedam natura atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis.* ita *quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, caeleste et divinum est,* ob *eamque rem aeternum sit, necesse est.*

VI.

De altari Valetudinariorum Clarensium

Sublimis gradibus, decora septo
Ara marmoreo infulisque pandis,
Multo perlita quae renidet auro,
Sacra haec, alme, tibi stat omne in aevum,
Nutritor pueri Deique nostri
Iosephe; auxilium ut feras benigne
Hinc atque hinc miseris, acerba febris
Quos urit, laterisve qui dolore
Languent anxifero, et tuum silentes
Nomen ingeminant, opemque poscunt.
Praesens, namque potes, fove clientes
Quos receperis: aut dies supremus
Si cui jam imminent, hunc age in beatas
Tecum infer patriae perennis arces.

(XIIII.) *Infulisque pandis.* sunt Infulae Festo *Filamenta lanea, quibus sacerdotes et hostiae templaque velabantur.* Servio. sunt *Fascia in modum diadematis, a qua vittae ab utraque parte dependent.* (in Aen. l. x. v. 538.) Lucanus demum inter templorum ornamenta recenset. (l. I. v. 355.) hic vero pro arae fastigio et corona accipiuntur: et quia fascia illa *plerumque lata* dicitur a Servio, *Pandae* propterea appellantur, ut devexas utrinque ac fluitantes intelligas.

CAPVT II.

VOTA

Hendecasyllabis nos uti ad Vota exponenda apprime convenit: quod ea accuratum fere et exquisitum scribendi genus postulare videantur. nam in his plerumque affectus animi eminere debent, spes nimirum, aut timor, aut laetitia, aut amor: quae utique venustate affluere oportet, et leporis habere plurimum. hic autem stilus, et ipsi numeri ad audiendum jocundi, rebus hujusmodi accommodati semper visi sunt. id tute ab exemplis agnosces.

I.

Agape Martyri

Dum discordia perfidos tumultus,
Bellum et classica nunciant sonora;
Hos inter fremitus gravesque motus
O nostros, Agape, tuere fines,
Huc quae Romulea volens ab urbe
Servatrix ades, incolaeque more
Iam civis studiosa, jam Patrona
Dici et esse libens amas clientum.
Pax si manserit hic, tuamque dextram
Hostis si metuet, sacro hic peracto
Laudes laeta cohors tuas canemus:
Latique auxilii tabella testis
Dicet hospitibusque posterisque,
Tua rursum ope Clarium stetisse.

(XIIII.) *Tua rursum ope*: manifestum nempe ab invicta Martyre Clarensium patrocinium esse susceptum, jam ab initio belli Gallici apparuit, quo tempore, votis a populo nuncupatis, exercitus, qui pridie finibus nostris imminebat, alio postridie declinavit, agro nostro pepercit, civitatem metu liberatam, qui omnes perculerat, laetitia quadam incredibili repente hilaravit. quamobrem eo ipso die vota sancte reddita, ac religiosissime persoluta sunt.

II.

Mariae Hospiti sacrum

Salve Hospes bona, salve amata Elisae,
Volens gaudia quae domum attulisti,
Virgo una atque Parens: dicat merenti
Hanc aram tibi, debitosque honores
Alexis tuus, a gravi periclo
Sospes munere de tuo. vocata
Quae praesens misero adfuisti, agenti
Sic praesens animam rogata adesto.

(XIIII.) *Elisae*. haec ipsa est, quam Hebraioo more Elisabetham vocitamus Phoenices *Elissam* dicebant, quae vox viraginem sive virilis animi feminam designat. inde Virgilius primum Didonis Phoeniciae nomen fecit. (Aen. l. IIII. v. 335.) indidem et sororis ejus nomen accepit, quam *Annam* appellavit. (vide Bochart. Geogr. Sacr. l. I. cap. 24. et 33.)

III.

Ad puerum Iesum

Ni te plus oculis utrisque amamus,
Et plus una anima, tenelle Iesu,
Qui nos plus oculis amas utrisque
Et plus una anima; nam utrosque fletu
Pro nobis oculos reples, et unam
Pro nobis animam reples dolore:
Oh nos una anima carere dignos!
Oh dignos oculis carere utrisque!

(iI.) ex auctoris libello p. 15. in quo pleraque omnia ad Catulli normam exacta reperies.

Vna anima. id est pro ipsa anima. *Vna* tamen poëtae adrisit magis; quod ea vox *utrisque* respondeat: vel etiam quod *Vnum* Catullus non semel pro eo usurpat, quod carius habeatur. vide carmina istius xxxxvI. et lvIIII.

IIII.

Donarium Publicum

Iamdudum bonus inde Gallicanos
Dum procul populos Pius beabat,
Vota suscipiens Deum rogarat
Saepe Romula gens, sibi ut Parentem
Donaret reducem. perenne, voti
Iam compos, statuit Deo potenti
Illa hoc mnemosynon, jubetque seros
Concessi meminisse vel nepotes.

(xiiiI.) Designant haec iter primum Gallicum Pii vI. Pont. max. ob cujus reditum Quirites mirifice laetatos esse accepimus.

Gallicanos. ita quidem appellantur, qui in Gallia sint, ut apud Tullium (Catil. iI. c. 3.) Gallicanae legiones dicuntur, quae in Gallia merebant. at apud Catullum (carm. xxxxiI.) Gallicanus idem est ac Gallicus.

Reducem. Latine *Redux* primum est, qui alium reduxit domum incolumem, quod nummi veteres et litterati lapides docent nos. deinde et ille *Redux* audit, qui rediit aut reductus est. Tullius de se *Quid me*, inquit, *reducem esse voluistis?* (pro Milone c. 37.)

V.

Mater pro Paullo filio animam agente

Olim ut Troade lapsus e fenestra
Confestim puer Eutychus revixit,
Magne o Paulle, tuis receptus ulnis,
Et moestae illico redditus parenti est;
Adsis, namque potes, meumque serva
Sic praesens puerum, tuo vocatus

Qui te nomine jam cliens patronum
Clamat semihiantibus labellis:
Servabis simul ipse tu parentem,
Mox quae sit tibi reddituru grates.

(xiiiI.) *Eutychus:* de hoc puero vide quae Lucas narrat. (in Act. App. c. xx. n. 9.) *νεανιας* dicitur: est autem Hesychio *νεανιας τολμηρος*, quasi qui bene nondum ratione utitur, et *νεανισκος, νηπιος*, id est infans. ceterum a Latino interprete *adolescens* redditur, a quo non dissentit *Puer*, si Romanos audiamus, quibus pueri etiamtum vocabantur, qui vel decimum quintum annum excessissent. quin Tullius (Phil. iiiI. c. I.) Caesarem Octavianum, quum esset annorum xviiiI. clarissimum adolescentem *vel potius puerum* nominavit.

Semihiantibus labellis: haec vero non teneram pueri aetatem, sed morientis languorem designant.

vI.

Votum Curionis designati

Dum castam veterum fidem et pudicos
It mores mala perditum voluptas:
Argenti sacra dum fames et auri
In praeceps populos rapit, quid orem
Heu custos modo ego datus pudoris,
Quid supplex voveam, ruentis almi
Tutores patriae clientiumque,
Iam caelestia regna qui tenetis?
Si tangit pietas, probam impetrate
Mentem quaeso animumque tot misellis,
Quos transversa agit impius cupido,
Fraudes quos perimunt amorque habendi.
Hoc refert: agite o boni volentes,
Voti reddite compotem: nitebunt
Haec novo decorata templa cultu,
Et multo redolebit ara thure,

Quum vestro resonabit invocato
Aedes nomine grata laudibusque.

(XIII.) *Dum castam:* id est integram, sanctam. Cicero (lib. II. de leg. c. 18.) ait, *Ebur ex inani corpore extractum haud satis* castum *donum Deo.* et Virgilius (l. III. Aen. v. 409.)

Hac casti maneant in relligione nepotes.

It perditum: sic Euclio apud Plautum: (Aul. Act. III. Sc. x. v. 5.) *Quid ergo emeruit adolescens mali, quamobrem ita faceres, meque meosque perditum ires liberos.*

Impius cupido: ut Horatio (lib. II. od. 16.) *cupido sordidus* pro avaritia, et alibi *contracto cupidine.* (l. III. od. 16.)

VII.

Pro amico absente

Audi vota, Agape benigna: cultor
Ille namque tuus, tuaeque sollers
Custos ille domus, sodaliumque
Antistes mihi dulcis optimorum,
Abest jam nimium diu; magistro
Et se posse negant carere tanto
Quot praestant pietate moribusque.
Maturum reditum (quid heu moratur)
Olim pollicitus: jube o redire,
Quippe is imperium tuum veretur.
Veris instar erit redux, diesque
Tuo a munere pulcrius nitebunt.
Nos laetos hilaresque nuncupata
Multis cum precibus pioque thure
Rite solvere vota pervidebis.

(XIII.) Viri hujus pientissimi, et doctrinae laude atque adsiduorum laborum patientia de omnibus bene merentis nomen hic inviti praeterimus, amicitiam ejus et modestiam reveriti. at hoc posteris debetur, ut norint esse Paullum Bedoscum Curionem Canonicum, cui multos velim Clarensibus obvenire persimiles.

CAPVT III.

GRATVLATIONES

Quamquam privatis in rebus hic stilus aptior videtur ad gratulantium laetitiam et studia significanda; locum tamen habere potest vel in Gratulationibus publicis, quum magnorum Principum adventus aut reditus instat, vel victoria aliqua de hoste nunciatur, vel dies festi anniversarii aut conceptivi aguntur. satis in hisce carminibus sententiae, si minus graves et severae, at venustae et concinnae cuique adrideant, et desideratam verborum majestatem politior elegantia compenset.

I.

Ob reditum amici

Veranni, omnibus e meis amicis
Antistes mihi millibus trecentis,
Venistine domum ad tuos penates,
Fratresque unanimes tuamque matrem?
Venisti: o mihi nuntii bëati!
Visam te incolumem audiamque Iberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Vt mos est tuus, applicansque collum
Iocundum os oculosque suaviabor.
O quantum est hominum beatiorum
Quid me laetius est beatiusve!

Catulli nosti jam stilum et Latinam suaveloquentiam. carmen est ejus ordine nonum.

II.

Ad M. Tullium

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poëta,
Tanto pessimus omnium poëta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Carmen est in Catullianis ἡ Περιεργιαν, opinor, hic agnosceret Theophrastus, quae illi est dictorum factorumque simulatio cum significatione benevolentiae. (in Eth. Charact. p. 40. edit. Casaub.)

III.

De festo Hypapante

Summi limina dum verenda templi
Transfers candidulos pedes, foresque
Subis, o penite venusta, quo te
Dicam nomine? virginem ne dicam?
At quam sollicitis tenellam in ulnis
Gestas sarcinulam, ille dulcis, ille
Infans, qui roseo ubera expetiscit
Labello, esse suam te ait parentem.
Recte: te ne igitur vocem parentem?
At is virgineo modestus ori
Insidens pudor et beata ocellis
Lux manans ait esse virginum te
Omnium decus omniumque florem.
Dic jam, dic age, si neque hoc neque illoc,

Quo te cumque modo voles vocari,
O tibi egregie ampliterque factum!
O caeli favor! o quod ulla monstrum
Certe nec tulerunt, ferentve saecla!
Virgo nam simul es, simulque mater;
Servato siquidem pudore mater,
Foecundoque sinu reperta virgo.

(xxiiI.) ex auctoris (libro iI. p. 124). Festum porro diem, cui apud nos *Purificatio* nomen est, apud Graecos Υπαπαντην appellatum invenies: qui et ante Latinos eum instituisse videntur. de hoc in Kalendario Constantinopolitano (Vol. iI. p. 55.) actum est, ab *αντασ occurro* Υπαπαντην dixere, Simeonis et Annae occursum indicantes.

Infans. Lucas scripsit (Evang. c. iI. n. 27.) Και εν τω εισαγαγειν τυς γονεις το παιδιον Ιησυν: non ergo Infans, si jam pedibus incedebat. itaque haud vana opinio est existimantium, quum Herodiana clades adversaretur, puerum Deo oblatum in templo reducem ab Aegypto jam trimum, ut olim Samuel ab Anna. (1. Reg. c. 1, n. 22.)

iiiI.

In adventu Agapes Martyris

Ite jam, pueri, obviam: Patrona
Caelesti venit ipsa ab urbe Roma,
Clarensisque Agape futura gentis
Spes ingens columenque civitatis.
Iam vexilla, agite, obviam explicate:
Vos primum Domina appetit videre
Bonos, innocuos, pios, pusillos,
Ipsa quos avet educare caelo
Rectis moribus et pudore dignos.
Currum ne adspicitis novum, rubentem?
Sancta adest Agape: invocate sanctam,
Nulla vox sileat: venit magistra

Virtutis, venit optima eruditrix,
Quae totam regat ut parens juventam.
Grandaevus meminisse vos juvabit,
Pacem quod Dominae advenae precati
Cohors dixeritis prior salutem.

(xiiiI.) Centenos pueros et amplius obviam processisse ad milliarium tertium, non paucos ad septimum usque, quum sanctissimae Martyris corpus curru vectum afferretur, non sine jocunditate recordamur, qui fuit dies xiiI. kal. Feb. anni m.dcc.lxxxxvI. erant autem puerorum plerique vix septennes, nec quisquam sine vexillo suo. neque inter eos defuere, qui ceteris alacriores viam impransi inirent, quo primi Martyrem salutarent; latrante ob famem stomacho, quem pane lenire coëmpto opus fuit. *Magistra virtutis.* bonum. id ominis verumque erat, quod utique confirmat alta exinde tanto patrocinio virtus multorum: quo nihil reapse optabilius esset ad beatitatem denique adsequendam, quam omnes vel in hac vita petimus. soli nimirum beati, qui virtutis compotes fuerint: quod ne philosophi quidem veteres ignorarunt. dictum est Laërtianum ex Epicuro illud, *Non posse jocunde vivi, nisi honeste justeque vivatur.* (vide Rossii comm. Laërt. p. 516.)

V.

De reditu Alexandri Farnesii

Gaudete, o lepidi mei sodales,
Omni jam posito timore: venit
Tandem nuntius optimus, patronum
Salvum et incolumem redire nostrum,
Quem rumor malus Italas per urbes
Divulgaverat esse jam dolore
Confectum lateris malaque febri,
Dum cinctus legionibus Latinis
Petit Vindelicas tremendus oras.
At tibi male sit, moleste rumor,
Qui nos sollicito diu timore
Vexasti: en cito patriam reviset

Alexander, et omnium Quiritum
Plausus, gaudia, gratulationes
Laetus excipiet, manusque caras
Nobis jam dabitur deosculari.
O pulcherrime sol, tuo nitente
Curru fer cito moenibus Quirini
Hunc diem niveum et nimis beatum.

(viiiI.) in auctoris edit. Venet. 213. studium hic Romanorum indicatur erga Alexandrum Farnesium Cardinalem magni nominis, virumque praestantissimum ac multis legationibus clarum: quem et ceteri poëtae eorum temporum certatim summis laudibus commendarunt.

Vindelicas oras. nempe a patruo Paullo iiI. Pont. max. in Germaniam legatus fuerat, comite Octavio fratre militiae duce, qui legionibus duabus et cataphractis equitibus mille, aliisque imperitabat copiis, quae Caesari adversus rebelles Haereticos magno usui fuerunt.

Decessit Alexander vI. Non. Mart. an. M.D.LXXXVIIII. cujus monumenta Romae atque alibi manent permulta. (vide Ciaconium T. iiI. p. 558.)

vI.

De editione Mariniana papyrorum veterum

Apenninicolae jugis Padoque
Transmissis operae huc tuae volumen
Nuper ingeniique, mi Marini,
Quantum est, Romulea manu levique
Comptum pumice venit, atque amicum
Hunc mire veterem tuum beavit.
Perlegi cupide libensque, totum
Perlegi: tenuitque litteratas
Prisci temporis explicans papyros,
Et mores reserans latentis aevi.
Novae quale opus eruditionis
Hoc sit, quis potis est referre, quosve

Exantlaveris arduos labores!
Vnus tu poteras, nec alter ullus,
Tanti munere fungier pericli.
Gaude, quod tua tota, singularis
Et laus haec fuerit: probatus idem
Quantum ubique hominum elegantiorum est,
Clarus post genitis futurus, artes
Qui norint recolentque liberales.
Est vero et mihi tam procul perampla
Gaudi materies, opus quod ingens
Hoc quoque enumerat, sinuque condat
Suo Bibliotheca nostra, dives
Iamdiu reliquis, amica plaudit
Queis laeta Ausonia omnis, annuitque.
Namque hic non medicae artis Archiatri,
Albanaeve domus probata cunctis
Desunt marmora prisca, non tuorum
Acta Arvalium, opimiora cenis
Fratrum ipsis: simul obtigere, vindex
Olim doctiloqui acer Eduardi
Quae idem promseris, aurei leporis
Plena atque ingenii, omen ut cuique
Aucto quantus eras futurus aevo.
Vaticana habeat senes in annos
Nunc te Bibliotheca, Praesidemque
Servet incolumem sibi atque nobis,
Allati aemule scriptor Holstenique.

(xiiI.) Apenninicola qui Apenninum incolit: ut apud Virgilium (Aen. xI. v. 700.) Roma autem quae ad nos advehuntur, Apenninum et Padum a tergo relinquunt.

Opimiora cenis. Fratres Arvales, quorum Acta duobus voluminibus vulgavit Marinius, et perpetuo commentario egregie illustravit, Collegium erant sacerdotum xII. sacris faciundis: quorum cenae sumptuosae saepius memorantur. (vide eundem T. I. p. 199.)

Eduardi: Corsinius indicatur, qui de Praefectis urbis accurate scripserat, nec tamen invidiam fugerat: pro quo Marinius stetit.

Gaudi pro Gaudii: ut apud Lucretium l. vI. sub fin. *Nec ratio remedi communis certa dabatur.*

Allati aemule: Criticum novi neminem aetatis nostrae, quem Marinio praeponam. mecum autem sentiat omnino, qui scripta ejus hactenus vulgata diligentius versarit, in quibus profecto Leonis Allatii et Lucae Holstenii sollertiam atque acumen inveniet, paremque eum tantis decessoribus non inficiabitur.

vII.

Ad Auctorem operis de stilo inscriptionum

Grates innumeras tibi Vetustas
Agit tota simul Latinitasque,
Morcelle optime, quod novus repertor,
Antiquae et novus explicator artis,
Scripsisti egregium librum, probatum
Sic plausu unanimi omnium, Vetustas
Nempe queis colitur Latinitasque,
Vt possit nihil amplius probari.
Hujus nunc ope, si juvat, licebit
Quod unum haec cupide expetebat aetas,
Signis, aedibus, arcubus, sepulcris,
Et quidquid memori sacratur aevo,
More inscribere pristino Quiritum
Venustos titulos et elegantes
Digne, ex ordine, puriter, Latine,
Augusti ut referant beata saecla.
O praestans opus, o librum disertum!
Verum non satis hoc: novus laborem

Excipit labor, additurque primo
Libro nunc simili liber nitore,
Quem scripsti, facile ut patere cunctis
Possit, legibus optime institutis
Si quis pareat, aureo lepore
Aeri incidere marmorive posse
Aere et marmore digna, digna ut aevo
Illa sunt tua Caesaris beato.
Nam quae ultro tibi fabrefacta, quaeque
Rogatu procerum undecumque passim
Ornant Ausoniam, juvat videre
Huc congesta simul, perenne saecli
Vt nostri maneant decus, fugentque
Foedam barbariem. heu pudor! refertas
Pene urbes tabulis fuisse et omnes
Vicos hactenus hisce litteratis
Prorsus ad stomachum usque lectitantum,
Nosque aegre in numero invenire tanto
Vnum versiculum alterumve, qui non
Sit exlex, oleatque barbarorum
Tetram illam illuviem, bonorum et illos
Hostes aeque hominum, artium et bonarum.
Ast haec jam fuerunt: benignitate
Iam novus Superûm paratur ordo
Rerum: te praeeunte jam licebit
Ex hoc tempore, pristina recepta
Scribendi ratione, pristinoque
Splendore haec reparare damna, queis nos
Excitavimus eruditiorum
In nos scilicet omnium cachinnos.

Nec sane immerito: loquentibus nam
Insulse titulis et inficete
Majestas abit Imperi interitque,
Nitet quae in tabulis mage his, in amplis
Quam foris niteat, minantibusque
Vrbium aedibus aureisque tectis:
Haec enim speciem urbis, at cerebrum
Ostendunt populi illa, liberalem
Et cultum, decus unde, et unde vera
Majestas repetenda dignitasque.
Ergo plaudo tibi, tibi et diserti
Foetus gratulor ingeni disertos,
Queis clarus memori coleris orbi
Orbis delicium usque dum decusque
Vetustas fuerit Latinitasque.

(XIII.) Sumpta haec damus ex libro Inscript. Morcellian. p. XVI. qui Romae editus est an. M.DCC.LXXXXIII. post alterum, qui jam de stilo Inscriptionum Latinarum prodierat.

VIII.

Ad Scriptorem Bibliothecae Clarensis

Iacobe o pater elegantiarum,
Cui par ingenio alter et labore
Nemo jure sibi queat videri,
Quid cessas? opus unus expetitum
Qui potes dare, reddito absolutum,
Vt Clarensibus augeas honorem,
Scrutatus veterum probata scripta,
Bonis hactenus artibus studentes
Qui novum patriae addidere lumen.
His et Brixia gaudeat, priores

Cui curas dederis, tuumque crescet
Quod paras operis volumen ingens
Non unum: simul haec enim parentis
Laus est, mutua et ipsa filiorum:
Dumque in commoda nostra scribis, idem
Faves civibus, et labore ab ipso
Vna est Bibliotheca Brixiana.

(xiiI.) Iacobus Germanus Gussagus e sodalibus Franciscalibus, civis Brixianus, vir egregius, doctrinaque et moribus praestantissimus, is est, qui dum Brixianorum scriptorum historiam scribit, hanc sibi etiam curam suscepit, ut Bibliothecam Clarensem ita pertexeret, ut pars foret non ultima praeclari operis, quod jamdiu urget. hanc vero ut ab ipso potissimum perficeretur, maxime intererat, quippe qui recondita veterum scripta et neglectos Bibliothecarum forulos ubique diligentissime scrutatus, multa unus proferre poterat, quae vel nobis, qui patrias res ignorare non deberemus, aut tabulariis nostris incendio absumptis plane ignota sunt, aut certe ob locorum distantiam in promptu esse non possunt.

VIIII.

De studio civium erga Praefectum Lycii Clarensis

Quem frustra sibi nuper Ollienses
Ad Pontem petiere Curionem,
Motterline, tuique Civitenses
Quem frustra repetent, Deo volente ·
Te nobis proprium scias dicatum,
Atque esse hic patriam tibi domumque
Et natos, studio tuo et labore
Quos hic adsiduo excolas juvesque.
Mitte jam potiora cogitare:
Nunquam te patientur hinc abire
Indulgens populus probique cives.
Norunt quid valeas, docente sacras

Te festis bene litteras diebus,
Sanctique eloquii explicante nodos;
Quamvis tempora saevientis aestus
Plus curae referant molestiaeque.
Venisti ominibus bonis, secundis;
Hic felix maneas: ave magister,
Salutant pueri, atque pervolentes
Tibi omnes patriaeque gratulantur,
Et suum vocitant habentque civem.

(xiiI.) O fallacem hominum spem et inanes cogitationes! Aloisius Motterlinius, qui annum jam octavum hic exegerat, vir sane doctrina excultus et prudentia ornatus, nec solum in regenda juventute, sed etiam in oratoris professione praeclarus, sententiam repente mutavit, et declamandi studium magisterio ipsi et praefecturae, qua fungebatur, praeposuit. ceterum non ita desideratus est, ut deessent, qui vicem ejus supplerent, e patria ipsa delecti, quorum opera et diligentia studia florent, adolescit pietas, in omnibus modestia elucet ac dignitas.

X.

De honore et virtute Karoli Ioan. F. Biancinellii

O laus, Karole, patriae decusque,
Te quod Felsina, nuper eloquuta
Tuis de studiis scientiaque,
Lauro jam redimivit atque oliva,
Et juris domui clientibusque
Consultum dedit optimum; poëtae
Hunc prima eximium juventa honorem
Certatim tibi gratulamur: illud
Sed tamen mage, quod tua redisti
Spectandus pietate moribusque,
Olim qualis eras puer, pudicis,
Sic virtute vigens, ut auctus annis.

Quippe ipso ingenio atque honore parto
Sunt istaec bona pluris aestimanda,
Acta quae bene puriterque vita
Caelestem parient tibi coronam.

(XIII.) Pertinent haec ad annum M.DCCC.XI. quo par fratrum egregiorum Karolus et Laurentius, curriculum studiorum suorum Bononiae magna cum laude emensi, et honoris sibi parti insignia adepti in patriam rediere.

Lauro. Plinius Tullium *linguae lauream* meritum dixit. (H. N. lib. VII. c. 31.) et de *olea* ait, (ibid. lib. XI. c. 4.) *Oleae honorem Romana majestas magnum praebuit, turmas equitum idibus Iuliis ex ea coronando, item minoribus triumphis ovantes. Athenae quoque victores olea coronant.* Itaque veterem illam consuetudinem majores nostri ad litterarum disciplinarumque gloriam transtulerunt.

Corollis autem in Agone Capitolino ornatos poëtas e quercu et oliva plexis indicat Statius (Silv. l. V. n. 3. v. 231.) hic ergo victoriam laurus, sapientiam olea designat. de ipsa lauro et olea vide Meursii junioris *Arboretum sacrum* (cap. III. et XXVI. in Meursio patre edit. Lamianae T. X. p. 788.)

XI.

Hadriano Armanno de Bononiensi Lyceo reduci

Doctorem modo vindicemque legum
Quod te Felsina reddit, Hadriane,
Recti Felsina debitique judex,
Aucturum sapientium coronam,
Et famam patriae decusque avorum,
Nae jure hoc meritoque gratulamur
Clarenses tibi plaudimusque: Virtus
Quod una hoc tua fecit et laboris
Exantlans animus molesta quaeque,
Fecit ingenii vigens acumen
Et sermo Latii disertus oris.
Iamque hoc ut proprium tibi et perenne

Ut sit discupiunt, Deumque cives
Rogant, qui dator omnium bonorum,
Multi uti auxilio tuo clientes
Servare incolumes queant avitum
Domi quidquid habent vel arte partum.

(XIIII.) Laureae Bononiensis insignia prima hic novis studiis ornare Mediolani pergit jam ab anno M.DCCC.XII. magnorum jurisconsultorum laudem aemulatus.

Decusque avorum. clara domi forisque Armannorum gens fuit, et litterarum quoque gloria floruit. (adi Mazzucchell. in Script. Ital.) Pompejum autem Iulii filium nostra aetate suspeximus, censura Collegii Clarensis praeclare functum, et in litterario coetu magnis de rebus cum dignitate disserentem.

CAPVT IIII.

TITVLI

Non est, cur displiceant confecti ex Hendecasyllabis Tituli vel operum publicorum. legito, si vacat, apud Statium vel unum illum, qui VIA DOMITIANA *inscribitur.* (*Silv. l. IIII. n.* 3.) *eo certe pacto multa tibi comprehendere liceat, quae si alio stilo scriberes, absurda viderentur, hoc vero grata erunt perque jocunda. quod si forte in tenui labor, nihil magis congruat, quam hic versus : qui dum blanditur auribus, et suavitate animum tenet, res quoque ipsis veluti flosculis ornat, et laudando auget.*

I.

Vinea sacrarum litterarum

Felix Vinea, vinearum ocelle,
Quam sevisse manu ferunt suapte
Herum ipsum, atque animi vocare caussa
Suas delicias suosque amores:
Felix Vinea! te corona circum
Sepit perpetuis opaca dumis,
Per quam frustra aditum sibi malignus
Inquirit caper improbique fures.
Pingue te saturat fimum, ac vigore
Implet praecoce: te cubantem aprico
In clivo tepidis recentibusque
Fovet sol radiis: benigna non te
Aura, non pluviae leves, nec ulla
Caeli gratia fallit adpetentem:
Felix Vinea centiesque felix.

Sed cur tempore, quo racemi ubique
Pendent aureoli, ipsamet nec unum
Quidem fers acinum? oh pudor! quid istuc?
Tam ne ingrata? tui ne heri labores
Id a te meruere, ut hocce amaro
Fructu denique sint remunerandi?
Nempe: at par referet pari: impiis te
Heu heu perfodiendam apris et ursis
Tradet continuo, omniumque dicet
Te labem opprobriumque vinearum.

(xxiiI.) ex auctoris lib. iI. p. 118. vide autem quaeso Prophetas Esaiam cap. v. et Hieremiam c. iI. Matthaeum item cap. xxI. quorum hic sententias poëta mirifice extulit.

iI.

In Albano Altieriorum

Pomptina e regione Sextus Vrbem
Dum redit Pius: (hac enim aemulatus
Augustum quoque parte, ferre aratrum,
Qua remos tulerant prius paludes,
Cogit maximus optimusque Princeps)
Dignatus mihi Villulae pusillae est
Honori dare, tantus ipse quum sit,
Vt diverteret huc meridiatum
Parca ad lautia rusticumque tectum.
Pro quo Villula honore ego pusilla
Posthac pluris ero mihi, atque Villas
Omnes vel minimo una provocabo.

(iI.) ex auctoris libello poëmat. p. 38.

Dum redit Pius. morem nimirum fuisse scias optimi Principis, ut quotannis mense Majo agrum Pomptinum inviseret, quem jussu auspiciisque ejus in maximam amplitudinem propagatum esse jam omnes norunt, fossa

etiam, aquarum derivandarum caussa, usque ad mare deducta, colonis culturae caussa auctis, nundinis institutis, et Tarracina in primis mercatorum adveuarumque omnis generis frequentia impensius celebrata.

Minimo una provocabo. Horatianum est: (lib. I. serm. IIII. v. 14.) proverbium facit Lambinus a gestu eorum, qui alterum in certamen provocant, quippe minimum digitum porrigunt in ejus contemptum, quasi eum vel minimo digito possint percellere.

II.

In ponte Appiae ad milliarium XXXXVI.

Qua leni resonans prius susurro
Molli flumine sese agebat Oufens,
Nunc rapax Amasenus it, lubensque
Vias dedidicisse ait priores,
Vt sexto gereret Pio jubenti
Morem, neu sibi, ut ante, jure posset
Viator maledicere aut colonus.

(XI.) ex auctoris libello poëmat. p. 39. respicit poëta quae Virgilius habet de Ufente, (Aen. l. VII. v. 801.) quem per imas valles quaerere iter ait et in mare condi: item quae de Amaseno legimus, (lib. XI. v. 547.) summis spumante ripis ob pluviam, atque adeo colonis interdum atque iter habentibus infesto: quem Pius per Cajetanum Rapinium machinatorem egregium viam aliam inire docuit.

III.

Specula in summis aedibus

Hospes, unde poli plagas in omnes
Prospectus tibi nunc patet, molestis
A curis procul ut sibi laborum
Fesso perfugium foret quietis,
Tecta Scipio avita Cardinalis
Huc Burghesius efferebat anno,
Quo magnus gelida redux ab arcto
Pius sollicitam beavit Vrbem.

(XIIII.) Habes in auctoris lib. Inscript. p. 406. enimvero memorabilis ille Pii VI. Pont. max. reditus e Germania, quam religionis pacisque caussa adierat, pertinet ad annum M.DCC.LXXXII. atque idus Iunias, quo die eum Populus Romanus summa omnium ordinum laetitia excepit, in Vaticanumque perduxit.

V.

In Columbas Sosi Furiettianas

Musivum est opus, affabre, expolitum,
Fictum versicoloribus lapillis
Parvis, sectilibus simulque textis.
Patens amplaque concha aqua nitente
Collucet, tereti recurva labro:
Quo in labro quatuor moram venustae
Columbae faciunt et otiantur.
Est quae languidulum suum decenter
Collum flectit: ocellulo vigenti
Est quae prospicit, et meticulosa
Malas insidias cavet futuras.
Rostro puniceo scabit sub ala
Sese tertia, ceu repente solis
Tacta esset radio: proterva ludit
Quarta molliter, atque prona obumbrat
Puram corpore aquam, levisque gustat.
Exstant canthari et eminent ab oris
Columbae, ut manus ipsa, pene capta
Ex fallacia et arte delicata,
Iam jam blanditias paret jocosque,
Accedens simul et simul recedens
Ne forte exsiliant cito volatu.

(XVIIII.) Leges in auctoris oper. T. IIII. sect. ult. p. 15. qui opus illud Romae in Capitolio contemplatus sit, eum hi versus plane delectent, ne-

cesse est. tu vide schema in Furietti opera de Musivis (p. 30.) ubi et de Soso Musivario praeclara invenies. (p. 27.) porro artificio huic, quod Romae peritissimos adhuc auctores habet, proximum est Florentinum, quo lapillorum crustis apte cousertis imagines redduntur quaelibet: cujus apud nos exempla aliquot iu templorum altaribus videre est. adi Gorium in Historia Glytographica. (P. iiiI. c. 3.) Operum autem, quae ab antiquis artificibus elaborata, et a scriptoribus memoriae mandata fuerunt, accuratam seriem percurre apud Iunium. (post opus ejus de Pictura.)

vI.

De Bibliotheca Clarensi

Cohors o studiosa litterarum,
Praestans ingenio atque amore laudis,
Huc succede, bonas probare et artes
Sueta et multiplicem eruditionem:
Quamquam Bibliotheca sum pusilla,
Et multo inferior Quiriniana:
Huc huc millia vos tamen sophorum
Invitant; agite, alloqui paratus
Quisque, quot juvenes simul senesque
Intus excipiat bonos, volentes,
Atque scita avidos nova audiendi.
Nil celabitur omnium, Vetustas
Quae quondam reperit, docetve nostra
Nos aetas: faciles modo redire
Et doctos patienter hic magistros
Ferre ni pigeat. bene hic teretur
Quae ludo superest negotiisve
Vel somno datur hora. quam benigne
Mox factum sibi dicet, expolitus
Hinc quando referet pedem, domumque
Doctior meliorque quisque abibit.

(XIIII.) Parvam quidem Bibliothecam hanc nostram jure quis dixerit, eamque minime iis comparandam, quas magnis in urbibus eruditi viri cupide invisunt, nec sine voluptate obire solent. selectorum tamen librorum copiam haec habet non exiguam, quos conditor ejus Roma praemisit, caritati patriae obsequutus: multos praeterea, quos de finitimis civitatibus non sine delectu comparavit. Senecam sequutum credideris, (de tranquill. vitae c. 9.) qui ait, *Paretur librorum quantum satis sit, nihil in apparatum.*

VII.

De mensa egenorum Clarensi

Clarensis colat usque plebs benignos
Majores, celebretque praedicetque:
Gratiam referet tamen minorem,
Quam ipsa debeat aut habere possit.
Namque auctoribus hisce sat valere
Vobis est, miseri, datum superque.
Per hos fert thalamum viro puella
Quum nubit: puero aucta perrogatis
Gaudet fasciolisque linteisque.
Accrevit nova si deinde proles,
Suus mox pueris torus, puellis
Sternitur suus, ut domum pudicam
Servent adsidue parens uterque.
Alget frigore quispiam? huic lacerna
Candenti dabitur decora panno.
Famis ne metuas pericla, cautum est:
Flavae copia nam parata pultis
In promptu. pueris schola et magister
Non deest, elementa quisque prima
Vt discat: potiore si per artes
Quis doctas velit enitere laude,
Hic ludum quoque habebit atque libros.

Haec juvet meminisse, avisque grates
Et grates proavis pii rependant,
Tuta quorum alitur vigetque vita.

(XIIII) *Gratiam refert.* ii nempe *gratiam referre* dicuntur, qui facto aliquo beneficium remunerantur: *habere* autem ii, qui memorem beneficii accepti animum habent, ac voluntatem remunerandi. (vide Tullium l. II. de officiis c. 20.)

VIII.

De Gynaeceo Mariano Clarensi puellis a pupillatu instituendis, tutandis destinato

Quas nunc, perfugium, bonae o puellae,
Vestrae cernitis orbitati apertas
Aedes, lanificoque textilique
Probe aptas operi artibusque, quales
Magis nosse decet bonas puellas;
Hasne carceris instar autumetis
Vestram in perniciem dolo paratas,
Libertas ubi vestra conticescat
Plagosa misere arcta sub magistra?
Eja, consilium paterni amoris
Catae noscite, patriamque amate
More munificam novo Vlpiano,
Quae vestro et vigilans studet pudori,
Dum vitam miserans alit tenellam:
Hinc vos ad thalamum probas, pudicas,
Partae munera dotis adferentes,
Vt mittat, societque cum beato
Laetas conjuge cognitaque socru.

(XIIII.) *Catae.* hanc vocem, quae superius etiam occurrit non semel, Sabinam esse tradit Varro, (lib. VI. Lingua lat. c. 3.) qua et Ennius et Plautus et Horatius usi. ingenium hominis acutum, et prudentiam

significat, quae a natura est. itaque quorundam etiam Romanorum cognomen olim fuisse legimus.

Vlpiano. quo scilicet modo Vlpius Trajanus plebis Italiae liberos providentissimo consilio alendos curavit: de cujus liberalitate plura tibi occurrent in Plinii panegyrico: (cap. xxvI. et seqq.) ob eam autem pueri, ajebat, *patriam non ut patriam tantum, verum ut altricem amare condiscunt.* porro de his fac legas, quae diligenter congessit egregius auctor Eckhel. (de doctr. numm. vol. vI. p. 424.)

VIIII.

In effigiem D. N. Iesu cor suum revelantis

O quot sunt hominum et fuere eruntque
Alme idem Pater et salutis auctor,
Dic, cur pectore nos jubes retecto
Cor nunc flammiferum tuum intueri,
Ipsum illud veteri anxium labore,
Perpessum omnia dira, ne tuorum
Quisquam perpetuo periret igne?
Hoc volo, se homines sciant amari,
Se adhuc, immemores licet malique
Ingratam Domino vicem rependant:
Volo ut toto animo pioque corde
Vnum me adspiciant amentque, et unum
Iam patrem colere et vocare discant.

(xIIII.) *Cor nunc flammiferum.* legesis quae Languetus Episc. exposuit in praeclara vita eximiae virginis Margaritae Alacoques: (lib. IIII. c. c. 51.) et Gallifetus de hoc argumento (lib. I. c. I. p. 22.)

Salutis auctor, id est Iesus, sive ut Augustinus ait, (serm. 299. n. 5.) *Christus Salvator: hoc est enim Latine Iesus, nec quaerant Grammatici, quam sit Latinum, sed Christiani quam verum.* Salus *enim Latinum nomen est:* Salvare *et* Salvator *non fuerunt haec Latina, antequam veniret Salvator: quando ad Latinos venit, et haec Latina fecit.*

Volo ut toto: huc spectare videntur quae Esaias praedixit: (cap. xI. v. 11.) *Et adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui.* et quae sequuntur.

X.

Ad Iosephum Viganoum V. C. de re publica optime merentem

Instar Flaminiae, Appiaeque gaudent
Clarenses sibi redditum viarum,
Vrbs quibus mage gloriata quondam.
O quantum tibi, Viganoe, plaudet
Grata posteritas! honore nuper
Major reddita: jam probare sueta
Quae facis bona cuncta; nam tuarum
Haec laudum prior, haesitare nunquam,
Et recta ante alios videre primum.

(XIIII.) Ingenium summi viri merito extollunt quicumque norunt, ut beatos haberi videas, quibus familiarius eo uti liceat.

CAPVT V.

ELLOGIA

Genus dicendi grandius ad Ellogia quadrare videtur: in quibus profecto minuta quaeque oratione persequi indecorum quis dixerit, quoties nempe Romano more res gestae efferendae sint, et clarorum virorum virtuti honos habendus. at non raro sermo potius esse debet de virorum ac feminarum religione, pietate, constantia, patientia et hujusmodi: interdum etiam minorum gentium homines laudandi sunt a sapientia, doctrina, litteris. ergo in hisce argumentis exilis iste Hendecasyllaborum stilus ac plane familiaris utique satis superque erit, ne infra dignitatem loquuti esse videamur. id vero te exempla, quae sequuntur, facile doceant.

I.

Perpetua Martyr clarissima

Quid spondet sibi, quidve plaudit amens
Laudi plebs inimica Christianae?
Victrix Perpetua est, nec una palma.
Plures magnanimae obtigisse, testis
Carthago, oraque testis Africana.
Prior cessit huic Deo adprobante
Libertatis amor, famesque victa
Inter squalida vincla, carcerisque
Profundi tenebras: dein malorum
Haud ullum potuit timere tanta
Virtus relligioque: non dolorem,
Dirum aut supplicium igneasque taedas.

Factum est postea durius periclum,
Vis sit quanta animi, viraginisque
Quid pectus valeat: senex repente
Iubetur lacrimans parens adesse,
Ac moerens genetrix simulque fratres
Et matertera parvulusque natus,
Haec num tangere, sanguine adloquente,
Possent, propositoque dimovere.
Iam flebant miseri, atque perrogabant
Ad priscos sapiens Deos rediret,
Ne se ne sua perderet domumque,
Neve canitiem patris verendam
Nata olim pia laederet, feroxque
Auderet puerum innocentis aevi
Mater ipsa necare vagientem.
Vicit dius amor tamen, nec almum
Liquit consilium emicans virago,
Vsque certa mori, Deoque pignus
Hoc uni dare debitum, fidem quo
Praestaret mage Numini obligatam.

(XIIII.) Desumpta haec e pulcherrimis integerrimisque Actis sanctarum feminarum Perpetuae et Felicitatis, quae post Holstenium et Ruinartium edidit illustravitque Augustinus Orsius, is, qui postea inter Patres Cardinales adlectus est. (Florentiae an. M.DCC.XXVIII.)

Rem autem ipsa Perpetua, quae Acta sua scripsit, sic enarrat: (n. 5.) *Post paucos dies rumor cucurrit, ut audiremur. supervenit et de civitate pater meus, consumptus taedio. Ascendit ad me, ut me dejiceret, dicens,* Miserere, filia, canis meis, miserere patri, si dignus sum a te pater vocari: si his te manibus ad hunc florem aetatis provexi: si te praeposui omnibus fratribus tuis, ne me dederis in dedecus hominum. adspice ad fratres tuos, adspice ad matrem tuam et materteram, adspice ad filium tuum, qui post te vivere non poterit. depone animos, ne universos nos extermines. nemo enim nostrum libere loquetur, si tu aliquid fueris passa.

haec dicebat pater pro sua pietate basians mihi manus, et se ad pedes meos jactans, et lacrimis non filiam, sed dominam me vocabat. etc.

Occubuere martyres fortissimae Carthagine, quum Tuburbitanae essent, insigni martyrio defunctae an. Christiano CCII. die natali Getae Caesaris, quem Ruinartius idibus Martiis adsignat. (in Admon. n. 8.)

II.

De Paullo Cidonio Clarensi ex familia Servorum Marialium

Doctrina venerande moribusque
Disertissime Paulle, te parentem
Adhuc suspiciunt tui solades,
Cohors egregio aucta Promagistro.
Quippe te nihil infulae Pisauri,
Aut preces tenuere civitatis,
Quin malles modico latere tecto
Acceptus simul utilisque alumnis.
Aetas sic tua crevit, ultimumque
Virtus in senium: tuisque tandem
Clarus promeritis repente sanctos
Pergis ad superos, sed ante mortis
Praefatus sociis diemque et horam.

(XIIII.) *Ultimum in senium*: vixit enim vir pientissimus ultra annum centesimum. videsis quae de eo mandavit litteris Gianius in Annalibus suis. (T. I. ad an. M.CCCC.LXXVI. p. 550. secunda edit. et Cozzandum in ejusdem vita.)

III.

In puerum egregiae indolis

Giberti ingenium bonas per artes
Excultum celebramus urbe tota,
Dignum Socratica institutione.
Hinc est gloria vera comparanda:
Hinc laus ipsa perennior petenda,

Hoc Gibertus amat puer disertus,
Contempta juvenum procacitate.

(viiI.) in auctoris opere edit. Patav. p. 47. de ipso Giberto lege infra quae adscripta sunt Epitaph. iiiI. cap. vI. de ingenii autem cultura, quam saepe adolescentes negligunt, audi Sallustium: (in Iugurtha c. iI.) *Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui dediti corporis gaudiis per luxum atque ignaviam aetatem agunt: ceterum Ingenium, quo neque melius neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque socordia torpescere sinunt; quum praesertim tam multae variaeque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur.*

iiiI.

De senis parentis morte

Vixisti, genitor, bene ac beate,
Nec pauper, neque dives, eruditus
Satis et satis eloquens, valente
Semper corpore, mente sana, amicis
Iocundus, pietate singulari.
Nunc lustris bene sexdecim peractis
Ad divûm proficisceris beatas
Oras: i genitor, tuumque natum
Olympi cito siste tecum in arce.

(viiiI.) ex auctoris edit. Venet. p. 138. nomen huic optimo seni fuit Ioanni Antonio, a quo natus M. Antonius Flaminius, qui patris auxit gloriam.

v.

De Ioanne Oliviero Grammatico Clarensi

Quaeris, quid patriae senex reliquit
Librorum vetus ille Olivierus,
Inter Grammaticos honore primus,
Quum scholis decus atque litterarum
Rursum lux Italis refulsit oris?

Pro libris melius bonos alumnos
Insigni excoluit magister arte
Magnos Rapiciumque Zanchiumque
Et natos patris aemulos, avita
Per quos gloria patriae revixit.

(XIIII.) de hoc praeclaro Grammatico agit Riccius noster : (T. XX. Opusc. Caloger.) nec vero caussa erat, cur doctus hic vir de patria verecundaretur, quam eximii jam scriptores illustraverant : et si quem de clariore patria inepte gloriantem audisset, poterat ei fortasse rependere, quod olim Seriphius quidam apud Stobaeum (serm. 157. p. 551. n. 80.) Atheniensi, civitatis suae parvitatem objicienti, dixit, *Mihi quidem patria dedecus est, tu vero patriae.*

VI.

De Iacobo Bassano Oratore

Qui te tam bene, tam diserte et apte
Et scit et graviter palma loquentem,
Bassane auree, non libenter audit
Meo judicio aestimandus omni
Omnino ac penitus carere sensu.
Nam seu Caelicolûm beata nobis
Refers gaudia, seu malas tenebras
Orci, sive aliud quid ipse nobis
Refers, tam bene, tam diserte et apte
Et scite et graviter refers, ut illa
Non queant melius disertiusque
Referri graviusque scitiusque.

(XXIII.) ex auctoris lib. IIII. poëmat. p. 190. quem hic nimium scite scitum fortasse dixeris.

Orci. nihil te offendat profana vox : legito quae adnotata sunt cap. VI. n. VI.

VII.

De morte Aloisii Lanzii ad amicum

Morcelle optime, jam satis superque
Vixi leniter et bene ac beate:
Quid heu denique restat? illa postquam
Lux illa interiit, meae juventae
Dulce praesidium et meae senectae!
Lanzius pater elegantiarum,
Cultorque omnigenae eruditionis,
Norat qui omnia quae fuere prisca
Thusciae et Latii Atticique cultus:
Arni delicium, decus Piceni
Fama nominis et Lojoliani,
Lanzius fuit: eruditiorum
Quem respublica candido nitore
Oris, ingenio et pereleganti,
Atque perspicua eloquutione
Probatum, studiisque moribusque
Vivum suspiciebat, ipsa ademptum
Luget, ellogioque honorat omni.
Quid mi denique restat? unus ipse es,
Morcelle optime, jam mihi superstes
E sodalibus intimeque junctus,
Morcelle, o pater omnium leporum.
Quare oro, tibi ne audeat nitentes
Vellere articulos furens Chiragra,
Queis tot eximiae eruditionis
Soles scribere candidos libellos.
Lues effera pestilensque morbus

Illos excrucietque torqueatque,
Mente promere qui parant maligna
Saecli opprobria pessimos libellos.
At tibi, o pater omnium leporum
Morcelle optime, sit bene ac beate.

(iiI.) de Aloisio Lanzio non semel injecta mentio superius. vide inter scriptores n. xiI. item lib. I. c. 3. n. 4.

viiI.

De Teosa pictore Clarensi

Laus erat patriae hactenus, probatum
Huic arti peperisse Tortiellum,
Barensem quoque Iuniosque fratres,
Quorum sunt tabulae in sacris dicatae
Aedibus, procerum aut domo hac et illa,
Manus indigenae hospitisque notae.
Sed jam tu veterum decus relinquis
Infra te positum, tuoque circum
Imples oppida nomine, exulare et
Vnus invidiam jubes silentem;
Clarus promeritis, honore tutus.
At civis tamen obligata laude
Dolebat patria antea, obtigisse
Summa finitimis, opus negatum
Grande unum sibi. gaudet impetrato
Nunc laeta, et memores libens per annos
Monstrabit digito optimum Teosae
Alte maxima opus nitens in aede.

(xiiiI.) Opus egregii pictoris virique integerrimi visitur in Basilica Faustiniana: ubi in summa abside pinxit Adventum Spiritus Sancti, Maria Virgine cum Apostolis adstante sociisque aliis: quod hospites mira quadam voluptate contemplari solent, indigenae sibi etiam honori vertere.

VIIII.

De puellis Clarensibus

Clarenses male si audiunt puellae,
Quod nihil metuunt, silentque nunquam,
Et coram hospite garriunt severo,
Aut dulces cecinisse cantiones
Cunctae voce simul solent canora:
Culpantur male, credito, improbeque.
Nam vertis vitio, quod innocentes
Ostendit magis et magis pudicas.
Vide'n ut strophio tegunt cuique
Quod velare pudor jubet, retrorsum
Nec vafris cupide adnuunt ocellis?
Tangi non patiuntur, abstinentque
Verbis, quae teneros olent amores;
Et quidquid pietas fugit cavetque
Concordes fugiunt caventque cunctae.
Hinc virtutem animi probosque mores
Nosce, qui vigilum decus parentum:
Namque illa ingenium integramque produnt,
Quae curis sine vita sordibusque est.

(XIIII.) Puellarum Clarensium hoc fere proprium, ut pleraeque omnes festivae sint ac plenae hilaritatis. quia nempe quotannis menses complures vario artificio Sericum opus consociatae tractare solent, jocisque mutuis ac narratiunculis laborem fallere; idcirco fit, ut in seriis quoque a risu sibi vix temperent, et blaterandi garriendique nullum finem faciant. nec vero gravium virorum auctoritatem vereri videntur, aut reprehensionem metuere: abundantque verbis, quibus se ipsae defendunt. ceterum pietatis et Christiani pudoris studiosae, quum ab opificio vacant eae etiam, quae amoeniore cultu delectantur, mirum! quanta in templis maxime consistant modestia, et quantam praeseferant religionem.

Quae curis sine vita, pro *vitam* Graeco more, quem et Latini saepe imitantur, casum praecedentem cum relativo pronomine conjungentes, ut Horatius initio odes tertiae lib. III. et alibi.

X.

Municipum Clarensium laudes

Mirantur veteres mei sodales,
Vitam vivere quod queam beatam
A doctis procul atque ab urbe Roma.
Rem vero haud pudet expedire totam.
Est hic copia non levis librorum,
Et librorum utique utriusque linguae,
Pro doctis mihi qui vicem rependant:
Ac mens Romulea vagatur urbe
Quum volo: placidoque nemo contra
Occurrit gravis uspiam aut malignus.
Ast amica etiam cohors bonorum
In promptu, quoties licet vacare,
Quae sapit, pietate moribusque
Praestans, ingenioque moribusque.
Hoc majus, populo pio, volenti
Quod prodesse datur, laboris et quod
Hic nostri periisse nil videtur.

(XIIII.) *A doctis*. perraro Latini *Doctum* sine apposito usurparunt. leges tamen apud Tullium (in Orat. c. I.) *Qui veretur reprehensionem doctorum atque prudentum*. item (l. II. de Orat. c. 42.) *Haec ut et properans et apud doctos et semidoctus ipse percurro*.

Prodesse datur. hoc libens exstare testimonium poëta voluit ejus docilitatis, quam in Clarensi populo plane miram invenit cum facilitate quadam conjunctam ea praestandi, quae sibi commendatione aliqua et cohortatione proposita meminisset.

xI.

De tranquillo Religionis principatu

Nae longo nimium abditam dolore
Heu te, Relligio, dolemus, una
Quae mortalibus imperare digna es!
Age, o saucta, salubris innocensque,
Ingratis, age, prodeas latebris,
Mole pulcrior, ut soles, laborum,
Tristi et reddita fortior procella:
Tuos ipsa potes beare amicos,
Dives eloquioque splendidisque
Doctrinae monitis vetustioris,
Bisseni docuere quam magistri,
Deo primitus auspice instituti.
Eja nunc cupidos fovere cives
Tempus: Pax tibi jam viam praeire
Vt gaudet! populusque voce quantus
Et plausu ingeminat tuum usque nomen!
Vultus si tuus emicet, tenebrae
Iam procul fugient, fides redibit
Culpari metuens, pudorque tecum,
Virtutumque chorus sequetur omnis.
At nobis reducem locare mens est
Reginam solio, tibique in aevum
Servire imperio tuo beatis.

(xiiiI.) *Bisseni*: sunt hi Apostoli duodecim, magni illi viri, principes orbis et mortales omnes virtute supergressi, quos Ecclesia magistros habuit habetque: a quorum doctrina ne transversum quidem unguem discedere fas est. ejus enim *Auspicem* sive auctorem Deum fuisse, Religio ipsa nos docet.

XII.

Ad Ignatium Rossium sodalem veterem

Graece perbene scire te probabant
Scripta, quae terimus, Laërtiana
Ignati optime compta et expolita.
At Grajis prope finibus relictis
In Aegyptum abiisse nesciebam,
Scrutatum veteris sonum loquelae
Et mixtos Arabum novos lepores.
Vim sane ingenii tuosque miror
Ausus atque animi sagacitatem.
Hoc tamen mage, nulla barbarorum
Quod infecerit aura, nec Latine
Nunc scribas minus atque Tulliano
Plane more, velut prius solebas
Doctus a puero unus elegansque.

(XIII.) Multa vir doctissimus magnique ingenii scripsit, quae adhuc latent. vulgata haec, *commentationes Laërtianae* Romae an. 1788. *Etymologiae Aegyptianae* Romae 1808.

CAPVT vI.

EPITAPHIA

Funebria stilum hunc metrumque minime repudiant. sunt enim Hendecasyllabi moerori atque luctui consentanei: iidemque amori non minus et pietati atque indulgentiae significandis servire solent. quamobrem si carorum sepulcrum ornari versibus opus sit, magnorum poëtarum exemplo, his percommode utaris, ac tum praesertim, quum feminarum aut puerorum excessus complorandus fuerit: quod ipsum ex suppositis exemplis addisces.

I.

In Glauciam Attedii Melioris libertum

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Cari deliciae breves patroni,
Hoc sub marmore Glaucias humatus
Iuncto Flaminiae jacet sepulcro:
Castus moribus, innocens pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Bis senis modo messibus peractis
Vix unum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas, viator.

Sunt haec Martialis, quae leges lib. vI. epigr. 28. de hoc Glaucia hexametros reperies apud Statium, (Silv. I. lib. iI.) qui etiam de eo in epi-

stola. quae praemissa est, sic scribit: *Primum enim habet Glauciam nostrum, cujus gratissimam infantiam, et qualem plerumque infelices sortiuntur, apud te complexus amabam.* quum autem Glaucias servus esset Attedii Melioris, vel puer manumissus est a domino, ut libertus ejus esset. moribus ipsius et formae hoc datum, inquit Martialis, epigr. xxviiiI. ejusdem libri. verum postquam annum aetatis suae decimum tertium incohasset, excessit e vivis, et secus viam Flaminiam, uti tunc mos obtinebat, sepultus est, addita in titulo clausula, quae viatorem ad luctum adliceret.

II.

Cenotaphium Archimedis

Septum vepribus Archimedis olim
Neglectum et male civibus, sepulcrum
Nequicquam Cicero retexit hospes.
Nam pulcri monumenti avita saxa
Cum sphaera appositoque cum cylindro
Heu dumeta iterum obruere densa,
Atque illa omnia perdidit vetustas.
At Syracosio manebit usque
Hic Sopho titulus: manebit inter
Cultores sacer artium bonarum
Hic cippus vacuique honor sepulcri:
Nec minus memores ferent in astra
Inventis celebrem suis, acuto
Et clarum ingenio virum, Mathesin
Quicumque ex animo colent nepotes,
Non illi radiumque pulveremque
Obliti eximii decus magistri.

(xiiiI.) Magni Archimedis insignem tumulum gloriatus est Tullius a se detectum fuisse, quum Syracusas venisset: quae nimirum nobilissima Graeciae civitas sui, inquit, civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. rem autem fusius ipse enarrat libro I. cap. xxiiI. Quaestionum Tusculanarum.

Radiumque pulveremque. utrumque memorat ibidem Tullius, ut geometram indicaret, quod is scilicet in mensa pulvere conspersa radio ad figuras describendas uteretur. ipsum porro Archimedem *meditantem in pulvere formas* induxit Silius libro XIIII. extremo, quum eum, captis a Romano exercitu Syracusis, in direptione illa ignarus miles interfecit.

III.

Tumulus Rogerii Boscovichii

Heu Rogerius ille quem profundi
Mensorem maris et poli atque terrae
Nuper suspiciebat omnis aetas,
Tentare aërias domos viasque
Caeli qui potuit novas adire,
Hic clausus modico jacet sepulcro
Iam cinis. lacrimas tamen, sodales
Qui fletis, cohibete; nam placere
Has negat sibi: quippe continentis
Amator probitatis altiora
Spectabat bona: jamque habet tenetque
Vltra sidera nota perbeatas
Sedes promeritus, perenne et aevum.

(XIIII.) Hic ille est Boscovichius civis Ragusinus, ab adolescentia inter Sodales Iesu Romae altus, Geometra aetatis suae primus, et ob Mathesin universam scriptis illustratam, inventis auctam ubique clarissimus: quem Collegia maxima Sophorum Londinensium, Berolinensium, Parisiensium, Petropolitanorum sodalem cooptarunt: Rex Ludovicus Regis Ludovici Adamati nepos munifice in Galliam invitatum Optice ad rem maritimam perficiundae praefecit; pleraque Europa advenam mirata, summo doctorum virorum consensu fama majorem agnovit.

Decessit hic Mediolani apud Borromaeos idibus Febr. an. M.DCC.LXXXVII. veteris instituti, quod in Societate Iesu ceperat, in ipsa communi calamitate ad mortem usque memor: qui quum carus Principibus, utilis rei publicae perdiu fuisset, nunquam elatus est, nunquam officium aut pietatem deseruit.

IIII.

De Giberto Pontifice Veronensium

Giberti venerator hic sepulcrum,
Quem Ligur genuit Panormi in urbe,
Roma nutriit, et diu regendi
Orbis participem beata vidit:
Dein Verona recepit, et magistrum
Sincerae pietatis et parentem
Mirata est. nihil ille quod beatam
Posset reddere civitatem omisit:
Nunc caelo fruitur beatus ipse.

(VIIII.) ex auctoris edit. Venet. p. 142. hic ille est Gibertus, quem superius laudat ab ipsa adolescentia Fascitellus. (ellog. III.) at de hoc summo viro legito, quae refert Tiraboschius. (Hist. litter. T. VII. P. I. p. 283.)

V.

Tumulus juvenis Amyntae

Flore dum viridis venustus aevi
Ex jussu tumulum pius parabam
Hic, mater, tibi, languidoque patri;
Confecti senio superstitesque
Quod vix condideram, sepulcro in ipso
Heu me composuistis, o parentes.
Aequales modo doctus hinc Amyntas
Ne fidant, moneo, suae juventae:
Exploratum homini nihil: valentis
Vires deficient, cadentque, vitae
Longos pollicitae vigentis annos.

(XIIII.) *A morte semper homines tantundem absumus*, ait Publius Syrus. (in Mimis n. 3.) vide, si vacat, inter Ἀνέκδοτα Muratorii Epitaphium Caesario positum, (n. 54.) qui frater fuit Gregorii Nazian.

vI.

Pueri mors innocentis

Elatus modo Faustulus, frequentes
Cui circum pueri adstitere, funus
Fletu omnes lacrimisque prosequuti,
Hic situs socios fluentis aevi
Paucis imbuit admonetque verbis:
Vita hac, credite, cedere innocentem
Nil mali est; potior beatiorque
Quippe hanc consequitur, modumque ponit
Aerumnis, siti et esuritioni.
Hoc malum est male vita abire sontes,
Turpes sordibus, oblitosque coeno:
Vita quam sequitur flagrantis orci,
Ubi perpetuo ustulatus igne
Nequicquam fremit impius furitque.

(xiiiI.) *Orci.* nomen id quidem fabulosum: sed vel a Virgilio pro ipsis Inferis usurpatur: ait enim, (Aen. l. vI. v. 273.) *Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci,* quae locum omnino designant. sic *Orcius thesaurus* pro Infernis apud Naevium. Festo autem *Orcus* ab *urgendo* dictus videtur, quod eodem omnia in interitum abripiantur. (vide Caelium Rodigin. Lect. antiquar. lib. x. c. 18.)

vII.

De lue anni M.DCCC.XVII. *pueris Clarensibus inimica*

Hoc mi dicite, quaeso, perroganti,
Cur bimi modo trimulique ad astra
Hinc simul pueri tot avolastis?
Num vos nil tetigit dolor parentum
Nil orcus terruit tenebricosus,

Orcus, unde negant redire quemquam?
Id visum leve: terruere fraudes
Et furta, insidiaeque tot malorum
Et fallax amor, invidique amici
Atque aetas vitiis dolisque foeda.
Nae mortis potior dies, beatis
Quae nos sedibus inferat, citosque
Hinc caelestia det videre regna.

(xiiiI.) Hoc anno intra veris tempus pueri apud nos amplius centum desiderati sunt, pusularum rubentium morbo enecti: matrum plerumque incuria, quae filios falsis indiciis deceptae convaluisse crederent. felices tamen jure appelles, qui exitu incerto beatitatem mutarint.

CAPVT vII.

DOCVMENTA

Versibus quoque juvare homines possumus, atque ad virtutem allicere, nedum a vitiis revocare. ceterum quoties hujus rei caussa praecipere aliquid velis, aut fidele consilium dare, aut etiam animos male concitatos admonitione reprimere, illud potissimum curare debes, ne in offensionem incurras eorum, quibus acceptus esse cupias. blande nimirum in alienas mentes intrandum est, ne operam perdas. nihil vero versibus hisce suavius esse potest: ipsa enim verborum numerorumque jocunditas omnia fere condit, et quodam veluti sapore commendat. itaque his vel iratus risum magis, quam stomachum moveas. quod si ad pietatem quispiam officiumque hortandus fuerit, animum ejus gaudio etiam et voluptate afficies. haec porro ipsa ab exemplis, quae sequuntur, comprobari senties.

I.

De amore Dei nostri et ingrato hominum animo

Pulcrum Cor Domini, vides ne, ut intus
Extraque ardeat aestuante flamma?
Pulcrum Cor Domini, vides ne, ut alte
Mucrone lacerum fero patescat?
O gens dura hominum et mala impiorum!
Sic te nempe Deus cupitque amatque,
Sic tu illum male vulneras amantem!

(vII.) Leges in auctoris libro Hendecasyll. n. vI.

Mucronē lacerum. vocalem brevem Graeci in primis tum etiam pro

communi saepe habent, quum solam liquidam antecedit: ut Homerus Iliados l. I. v. 4. et Theocritus, qui Idyl. xI. scripsit,

Πολλακις, ω Πολυφαμε, τα μη καλα πεφανται.

primo enim loco *καλα* priorem brevem habet, deinde longam.

De hoc autem argumento, quo pientissimus quisque hominum Catholicorum mirifice delectatur, orationum aetate nostra conscriptarum praeclaram *Συλλογην* Ludovico Pretio debemus, qui eam Romae edidit an. M.DCC.LXVIII.

II.

Quid in hac vita malum

Peccatum reor esse, non malorum
Vnum forte aliquod tot inter, olim
Quae terrae incubuisse perferuntur;
Sed solum merito unicumque habendum,
Quo necesse hominum genus perire,
Flamma et perpetua ignibusque aduri.
Nam quae nos mala dictitamus esse,
Semper recti aliquid ferunt bonique.
Durum pauperies docet laborem,
Atrox excitat hostis otiosos:
Contemptu ingenia appetunt honores:
Cautos reddere languidos solere
Febris dicitur ipsa: visque dira
Me interdum podagrae facit poëtam.

(XIIII.) Haec magni Chrysostomi doctrina est, qui ex egregiis virorum sanctorum factis discendum inculcat, (Hom. v. ad Pop. Antioch. n. 2.) *Ο'τι ουδεν δεινον των ανθρωπινων δεινων, αλλ' ἡ αμαρτια μονον, ου πενια, ου νοσος, ουχ ὑβρις, ουχ επηρεια, ουχ ατιμια, ου τω παντων δοκουν εσχατον ειναι των κακον, ὁ θανατος*: nullam nempe rerum humanarum quae graves videntur, gravem esse, nisi peccatum, idque solum, non paupertatem, non morbum, non contumeliam, non calumniam, non ignominiam, non quae omnium malorum extremum putari solet, mortem ipsam.

De Jobo autem dixerat idem in eadem homilia, corpus quidem ejus pulcrum et integrum ante calamitatem fuisse, at multo venerabilius post vulnera factum esse: nam et lanae, inquit, pulcrae quidem et ante quam tingantur, postquam vero factae sunt purpureae, ineffabilem sumunt pulcritudinem multumque decorem.

Durum pauperies. scita sunt illa Theocritea (Idyll. xxI.) quae Cunichius sic reddidit: (p. 89. edit. Parm.)

Pauperies, Diophante, artes ciet una, laborem
Vna docet: nec enim longo indulgere sopori
Cura inopem sinit alta virum: sed dulcia somni
Dona ubi gustavit prima sub nocte, quietum
Sollicitat, morsuque animum pervellit acuto.

II.

De amicitia.

Thesaurum reperit beatus ille,
Bonum qui reperit, Sabine, amicum:
Artem si modo scit laboriosam
Et perdifficilem, semel repertum
Qua semper teneat, Sabine, amicum.

(vII.) Expressit auctor e Greco Anthol. lib. I. c. xxxxv. epigr. 2. quam in sententiam recte admonet Publius Syrus, (in Mimis n. 34.) *Amicum laedere ne joco quidem licet.*

III.

Quid servare virtutem possit

Nosti hunc a puero? pudicus, insons
Vixit, flexanimus parenti utrique,
Nunquam non aderat vocatus: idem
Addictus studiis, piusque Numen
Colens obsequio domi forisque.
Nunc jam grandior optimaeque frugis,
Non ulli gravis, utilisque multis
Qui tales potuit merere laudes?

Paucis expediam: in malos ne abiret
Mores, in vitiumque laberetur,
Unum hoc, Principiis cupidinique
Forti ubique animo obstitisse, fecit.

(XIIII.) Sub hac imagine adolescentes egregii latent non pauci, quos utique Clarensis juventutis lumina appellare possis, ingenio aeque ac moribus spectatissimi: jamque non solum familiae regendae idonei, sed etiam rei publicae capessendae. In his religio ac pietas elucet, castimonia eminet, prudentia etiam, quae aetatem superet, nihil levitatis, et plurimum tamen hilaritatis. parentum haec laus est, hoc praemium, quod eos a pueris summa diligentia domi in oculis suis instituerunt, educarunt, non severitate usi, sed gravitate, nec tam increpando, quam admonendo, ad virtutem hortati. in hac disciplina domestica vigilantiaque quotidiana, quum procul ab eis pericula omnia arcerentur, peccare oderunt amore recti, et a vitiis constantissime abhorrentes, facile integritatem pristinam retinuerunt.

V.

De falso amore vitae

Centenos Lycidas habebat annos,
Sero denique traditus sepulcro,
Nec satur tamen, addere his volebat
Unum si potis esset alterumque.
At hoc si tibi Numen annuisset,
Senex sordide, tertius subinde
In votis foret. an Deum hoc amare est?
Hoc et perpetuam beatitatem
Qua par est prece poscere atque velle;
Quum caelo hic miseri exsulemus omnes,
Nec sit altera patria expetenda?

(XIIII.) Legito, ut sapias, vitaeque hujus insanum amorem contemnas, legito, inquam, inter Davidicos psalmos octogesimum tertium, item alios. sic bene disces, quanto caelestis patriae desiderio flagrare omnes debeamus.

VI.

In publicanum decoctorem

Ex lauto modo divite et beato
Pauper atque macer repente factus
Quid frustra quereris, Marulle? culpa
Namque tota tua est, amica semper
Tibi tempora qui ratus futura,
Formicam piger oderis magistram.
Edisti satis, hactenusque plebis
Heu quanto es miserae cruore pastus!
Ponas lacrimulis modum, ferasque,
Vt sumant animos, acerba quotquot
Iam pressit nimium diuque egestas.

(XIIII.) *Formicam piger.* refer huc quae habet Horatius lib. I. serm. I. v. 33.
Parvola nam exemplo est magni formica laboris,
Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri. etc.

VII.

Siti enectus in mari

Non hiems gravis et cadens Orion
Merserunt sale Nicophemon Afro,
Omni sed male destitutus aura
In puppi miser est siti peremptus.
Ventorum hoc etiam est opus, frementes
Nautis fata ferunt, ferunt silentes.

(VII.) e Graeco est Isidori Aegeatae Anthol. lib. III. cap. XXII. epigr. 18.

VIII.

De oratore inepto

Orantem tumido ore, nec quietis
Unquam te manibus, Fabulle, fixo.

Nec unquam pede, paullulum feremus,
Dum sensim furor iste mansuescat,
Et tempus fugiat calentis aevi.
Verum quod tibi comptus elegansque
Tum magis videare, si poëtae
Interdum numeros sonumque reddas;
Hoc nemo probat, hoc dolemus omnes
Te falli misere, nec ante nosse
Id quam dedeceat. tuam perire
Sic est quippe necesse dignitatem,
Clamosumque tibi obvenire risum:
Ergo jam sapias, modumque amato:
Aut dic quid placeat? poëta haberi
An orator aves? utrumque, crede,
Nequicquam studio et labore certas:
Hoc unum facile est tibi, esse neutrum.

(XIIII.) *Numeros sonumque reddas.* id vehementer in oratione esse vitiosum, ait Tullius: (in Orat. c. 189. et de Orat. lib. III. c. 44.) sed tamen versus saepe per imprudentiam vel clarissimis oratoribus exciderunt. vide quae in hanc rem adnotavit eruditissimus Lagomarsinius ad Pogianum, (vol. III. p. 3.) quem etiam senem adolescentes narrare audivimus, sibi Tullium attente legenti versus in ejus scriptis occurrisse amplius octingentos nonaginta. ceterum haec Fabullo nostro minus favent, qui versus in orationibus data opera conderet, eosque pro ornatu haberet.

At de numero Oratorio, qualis quantusque esse debeat, egregie quinque libris actum est a Rapicio nostro, quem adeas velim. Paullus Aldi filius Manutius id opus edidit Venetiis an. M.D.LIIII.

VIIII.

De recta virginum institutione

Prolis quae geminae parens Elisa,
Virtutisque eadem tenax avitae,
Filias vidua educavit, ambas

Matri persimiles, probas, pudicas,
Nec cultu nimio leves, nec omni
Neglectu horridulas: domique jussit
Solas discere litteras et artes,
Quas novisse decet bonas puellas:
Quonam ergo in numero ista censeatur?
Haec princeps mihi jure maximarum
Sit matrum, omnibus una praeferenda
Matronis, melior, vel extitisse
Quas aetas perhibet, vel hinc futura
Si quas forte ferant probentque saecla.
Quippe hanc munere cogitare functam
Debes praecipuo: Deoque digna
Prole hac in gemina obtulisse dona.

(XIIII.) Hanc hodie matrem utinam imitentur reliquae omnes, quibus filiolae domi instituendae conformandaeque sint. nulla demum ex illis jam matura viro gratiam non habeat vel maximam matri bene de se meritae, cujus demum consilio et diligentia utilia didicerit, perniciosa nec noverit. ceterum si otium fuerit, ea quoque legas velim, quae Horatius, paterni beneficii memor, de institutione sua puerili commemoravit. (Serm. VI. lib. I. e v. 68.)

X.

Ioan. Baptistae Gofio Alexiano de militia ad juris civilis studia reverso

Rursum Felsina nuncios beatos
Huc de te modo gestiente misit
Cive omni patriaque, Alexiane,
Uno judicio eruditiorum
Jam datum tibi juris ut magister
Sacrarumqne fores ubique legum.
Quanto hoc utilius beatiusque,
Quam si militiae labore fractus,

Vite dum fruereris impetrata,
Demum Sarmaticis rigens in agris
Tribunus caderes ducumve primus!
Nam certe patriae tuisque civis
Sic opis nihil, aut semel tulisses:
Quam nunc incolumis feres pupillo,
Et feres viduae ultimos in annos
Aequi semper amator, atque vafri
Doctus Causidici amovere fraudes,
Malumque ingenio dolum cavere,
Insons quo capitur caditque caussa.

(XIIII.) *Vite impetrata*, id est Centurio factus, cujus insigne erat bacillus e vite, de quo superius dictum est. (lib. I. c. VI. epitah. 4.) mentio etiam occurret apud Lucanum (lib. VI. v. 145.)

. . . . . . ibi sanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.

quin ea ab Eusebio quoque memoratur (H. E. lib. VII. c. 15.)

Malum dolum. in duodecim Tabulis sic *Dolus* appellatur, et *malus* ab Aquilio vocatur, quum aliud scilicet agitur, aliud simulatur, uti apud Tullium leges. (de Offic. l. III. c. 14.) *Dolum* enim *bonum* pro sollertia habuere veteres: quod religio Christiana nequaquam admittit.

XI.

Ad Ioannem Labusium I. C. Valetudine ejus confirmata

Quod morbo implicitus periculoso
Iam sospes valeas, bene est, Labusi,
Bene est, et valeas senes in annos:
Quippe hoc Brixia discupit, tuique
Hoc mecum veteres volunt sodales,
Quotquot laus patriae decusque tangit:
Rursum pulcra tuis vigere chartis,
Doctis scilicet et laboriosis,
Quae caepit; Latiisque clara saeclis,

Nunc clavum et trabeam gerit Quiritum,
Nulli nobilium urbium secunda.
Iam id nos, iudice te, docet vetustas,
Id docent monumenta Brixiana,
Signa, arae lapidesque litterati,
Nil quorum potuit tuum latere
Obtutum, ingenioque majus esse.
At tu parce aliquid tibi et labori
Tam cari capitis: procul senecta
Abest: egregia incohata, crede,
Sic tu perficies: bonae quod artes
Expectant simul et boni sodales.

(XIII.) *Senes in annos.* id est multos, ut apud Ovidium Met. lib. xv. *Senioribus annis*, apud Virgilium in Ciri *Senibus saeclis*, apud Martialem lib. 3. epigr. 58. *Senibus autumnis.*

Latiisque clara saeclis. id enim urget opus vir eruditissimus, ut priscam Brixianae civitatis dignitatem sine fuco ob oculos ponat, antiquis Iscriptionibus monumentisque tantummodo usus quasi testibus eorum, quae recenset. itaque historia hujuscemodi nihil verius, nihil luculentius esse potest.

XII.

Ubinam beneficia a Domino Deoque nostro petenda potissimum sint

Vos o, queis pietas et alma cordi
Adhuc Relligio, huc adeste, dives
Vbi auso nitet ara: vel frequentes
Manet vos dominus Deusque, vestras
Vt preces bonus audiat. piorum
Vltro hic, credite, supplicumque votis
Favet, ceu propria adnuitque in aula.
Ipsum quippe amor impulit, misellis
Hic ut adforet usque, nec roganti

Opem aut subsidium negaret ulli.
Nempe illi imperium Pater supremum
Iampridem ipse dedit, quod aut olympo
In alto velit, aut patrare terra,
Vnus ut valeat, regatque cuncta.
Ne tantae tamen iste dignitatis
Splendor incutiat metum, vocantis
Maejestas Domini latet. sed ipsa
Omnino bonitas latere nescit:
Vestros quin animos beare gestit,
Et novis cupidos juvare donis,
Regiam quoties in hancce vestrûm
Velit quisque venire supplicatum.

(XIII.) Cella hic templi Eucharistica designatur, ubi Vnigenae Dei sospitatoris nostri praesentiam agnoscimus ac veneramur.

Dives ubi auro nitet ara. apud veteres inter *Aras* et *Altaria* hoc erat discrimen, quod poëtae negligunt, ut ea superiorum deorum tantum essé dicerentur, hae vero terrestrium. atqui *Arae* a precationibus appellatae videntur: nam preces Graeci Αρας dicunt. vide Vossii Etymolog.

Imperium supremum: hoc enim Iesus ipse apud Matthaeum (28. n. 8.) diserte protulit: Εδοθη μοι πασα ἐξουσια εν ουρανῳ και επι της γης.

Regiam id est Basilicam, quae idem sonat Graece. Non semel autem hoc nomine Aedem hanc nostram Faustinianam appellavi, nec tamen ad magnificam quamdam et gloriosam ostentationem; sed quia nomen illud ipsa aedificii forma sibi vindicat, idemque Christiani veteres saepe de templis suis usurparunt. videsis quae Vitruvius lib. v. c. I. exposuit de Basilica, quam ipse in colonia Iulia Fanestri construendam curavit: et quae ibidem Galianus adnotavit: item quae habet Sarnellus in sua Basilicographia c. I.

XIII.

Pii VII. Pontificis Maximi Laurea triumphalis

Pio jam reduci ultimi Britanni
Vel ipsa in patria dicasse honores
Gaudent praecipuos: Fidelitatem

Mirati Patris optimi probumque
Pectus et nihil aut minas feroces
Expaventem animum aut graves ruinas.
Quid, Romane, facis? simul quid audent
Vrbes Ausoniae, bonis tot una
Receptis hilaresque divitesque?
Grates reddite Numini: supremo
Hoc enim sine Numine haud peractum est:
Functo plaudere mox decet periclis,
Cui plaudet lacrimis solutus Orbis.
Sed juvet meminisse perferentis
Facta jam potiora perpetratis.
Exsulem modo Celticas per urbes
Hunc, hunc nonne vetus praeire virtus
Majorum, decorisque Vaticani
Visa est gloria maximumque nomen?
Mutatum est iter, oppida atque caelum:
Mansit idem animus colorque vultu.
Non constantia cessit, aut malorum
Vim passa, exanimis metu quievit.
Invictus solio Pius relicto
Ibat Romuleis abactus oris;
Nunquam at se minor, et paratus ire
Per enses medios trucemque mortem,
Dum veri populis magister esset,
Et lex Relligioque permaneret.
Haec victoria, et haec fuit triumphi
Felix laurea parta, cui supremae
Plauserunt acies: Paterque summus,
Qui regna imperio coërcet aequo,

Ipse et adnuit adprobante coelo,
Ac duro imposuit modum labori.
Isthaec grandia, Christiane, habeto,
Isthaec et placeat, diserta passim
In aevum ut monumenta praeloquantur
Mansura hospitibusque posterisque.

(XIII.) *Laurea triumphalis.* Haec vero accipe ex Christiano sensu atque judicio. nam ut magnus Hilarius ait, (l. vII. de Trinit. n. 4.) *Hoc Ecclesiae proprium est, ut tunc vincat, quum laeditur: tunc intelligatur, quum arguitur: tunc obtineat, quum deseritur.*

Vltimi Britanni. Fama nimirum percrebuit, magnae Britanniae nomine statuam ex aere decretam honori virtutique Pii vII. quae Londini in Basilica Paulli dedicaretur.

Fidelitatem. id est fidem ipsam, quae inest animo, et re spectatur: ob quam Pium Britanni Mortalium fidelissimum in titulo appellant.

Grates reddite Numini. Ecclesia Brixiana hoc jam praestitit splendidissime, egregio Pontifice ejus Gabrio Maria Nava praeeunte: disce id ex ipso titulo, qui prostabat in fronte maximi templi.

DEO · NOSTRO · VNIGENAE · EX · TARTAREA · POTESTATE · TRIVMPHANTI
CVIVS · NVTV · ATQVE · CONSILIO · AD · PRECES · CAELESTIVM
PIVS · VII · PONTIFEX · MAXIMVS · POST · VIOLENTOS · AERVMNARVM · IMPETVS
IMMINVTAE · MAIESTATIS · AMPLITVDINE · AVCTA
SENATVS · AVGVSTVS · PATRVM · PVRPVRATORVM
DIGNITATIS · PRISTINAE · SPLENDORE · RECIPERATO
RELIGIOSISSIMI · ANTISTITES · PROCERESQVE · CHRISTIANI · NOMINIS
EREPTI · HONORIS · SEDIBVS · POSTLIMINIO · VINDICATIS
CATHOLICVM · ORBEM · EXSILIORVM · ACERBITATE · MOERENTEM
VICTORES · EREXERINT · REDVCES · EXHILARARINT
ECCLESIA · BRIXIANA · CVM · PONTIFICE · SVO
ET · CLERO · VNIVERSO
PERFVSA · GAVDIO · IMMORTALES · GRATIAS · AGIT
CVSTODI · ET · VINDICI · AETERNO · FAMILIAE · SVAE

Annonae dedit, omniumque late
Praefecit stationibus viarum:
Sed Bruti senis oscitationes
De capsa miseri libellionis
Emptum plus minus asse Caïano
Donas. usque adeo ne defuerunt
Caesis pilea suta de lacernis?
Vel mantilia luridaeve mappae?
Chartae, Thebaicaeve Caricaeve?
Nusquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus atque coctanorum?
Non ellychnia sicca, non replictae
Bulborum tunicae, nec ova tantum?
Non leves alicae nec asperum far?
Nusquam Cyniphiis vagata campis
Curvarum domus uda cochlearum?
Non lardum grave debilisque perna?
Non lucanica, non graves Phalisci?
Non sal, oxyporumve caseusve,
Aut panes viridantis aphronitri?
Vel passum psythiis suis recoctum,
Dulci defruta vel lutosa coeno?
Quantum vel dare cereos nitentes,
Cultellum tenuesve codicillos?
Ollares, rogo, non licebat uvas,
Cumano patinas in orbe tortas,
Aut unam dare synthesin, quid horres?
Alborum calicum atque caccaborum?
Sed certa velut aequus in statera
Nil mutas, sed idem mihi rependis.

Quid si quum bene mane semicrudus
Illatam tibi dixero salutem,
Et tu me vicibus domi salutes?
Aut quum me dape juveris opima,
Expectes similes et ipse cenas?
Irascor tibi, Griphe: sed valebis:
Tantum ne mihi quo soles lepore,
Et nunc hendecasyllabos remittas.

Desumpta haec e P. Papinii Statii Silv. lib. IIII. n. 9. quae longiori plane commentario indigent. hunc Plocium Griphum bis memorat Tacitus, (Hist. lib. III. c. 52. et lib. IIII. c. 39.) et Senatorii ordinis fuisse tradit. cum eo ludit Statius, quod haec scriberet Saturnalibus.

Noster purpureus. librum, quem dono miserat, laudat ab ornamentorum elegantia et pretio. umbilici scutula erant ex ebore aut picta, in utraque libri fronte extrinsecus addita. decussis vero denarius est sive asses decem.

Byzantiacos lacertos. pergit Statius jocari ea enumerans, quibus Plocius acceptum donum remunerando compensare poterat. sunt lacerti pisces vilis pretii, qui ad bosphorum prope Byzantium capti saliri solebant, quo venum distraherentur.

Centum judices, id est Centumviros, qui de rebus privatis judicabant: inde caussae Centumvirales. vide Cic. de Orat. (lib. I. c. 38.)

Germanicus. is est Domitianus, qui *Rheni domitor* et *Germanicus* non semel a Martiali quoque appellatur. (lib. V. epigr. 2. et lib VIII. epigr. 7.) ab eo porro Praefectus annonae in sequentem annum designatus Plocius fuerat, itemque Cursus publici Curator factus. (v. Svet. in Aug. c. 49.)

Bruti senis. Brutum Tullii amicum significare videtur, quem auctor Dialogi de Oratore ait, visum Ciceroni otiosum atque disjunctum. (c. 18.)

Libellio βιβλιοπωλης. *Ascajanus,* as omnium levissimus, quem percuti Cajus Caligula jusserat, quum jam sumptibus impar esset.

Pilea. non desinit Statius enumerare vilia quaeque donorum, quae Plocius ad eum mittere poterat: pro lacerna Pileum tantum sive cucullum: Chartas sive papyrum, Thebaicas ex Aegypto palmulas, ficus e Caria majores aut minores, quibus nomen erat Coctana sive Cottana: Ellychnia papyracea aut spartea pro lucernis, Bulbos replicatos sive apertos, alicas, factitias nempe, sive pultem ex alica nativa confectam, frumenti genere, quod Graeci χονδρον vocant. cochleas Africanas, Phaliscus sive Faliscos ventres suillos Faliscorum inventum: Oxyporum sive condimentum acris saporis, Panes aphronitri, sive pastillos e spuma nitri: Passum id est vi-

num e Graecula uva expressum, quam passi essent in sole aduri: Defrutum, mustum scilicet decoctum ad tertias: Patinas fictiles Cumanas, Synthesin, non eam quidem cenatoriam vestem, ne nimium petere videretur; quamobrem addit *Quid horres?* sed vas fictile, quod calices et caccabos ferret, unde Martiali Synthesis septenaria dicta est. (lib. iiiI. epigr. 46.) in hoc autem Martialis epigrammate pleraque ex his occurrunt, quae Statius commemorat, id est Farris semodius sive modii dimidium, thuris piperisque tres selibrae, sive libra una cum dimidio, Lucanica cum ventre Falisco, lagena defruti, ficus gelata testa Libyca, sive hiberna cum bulbis cochleisque caseoque, Septenaria Synthesis Sagunti, Hispanae luteum toreuma rotae, et lato clavo variata mappa.

Dicam tamen quod sentio: in hujusmodi jocis, si priscum Romanorum leporem nosti, quem in M. Tullii libro iI. de Oratore in primis agnoscere licet, facile desideres veterem elegantiam et politissimas majorum facetias.

iiI.

In Vacerram ineptum judicem

Miraris veteres, Vacerra, solos,
Nec laudas nisi mortuos poëtas:
Ignoscas petimus, Vacerra: tanti
Non est, ut placeam tibi, perire.

Nosti, opinor, Martialis sales: risum quaesivit, ut solet, qui est, inquit Tullius (de Orat. lib. iI. c. 50.) vel tenuissimus ingenii fructus. (habes haec lib. viiI. epigr. 69.)

iiiI.

De adventu hiemis

Iam bruma veniente praeterivit
Aestas mollior, et cadunt ab altis
Frondes arboribus: tepor favoni
Immanes boreae furentis iras
Formidans abiit: illum agri voluptas
Canorae volucres sequuntur. ergo
Et nos dulcia rura deseramus,

Dum ver purpurea coma decorum
Reducat zephiri tepentis auram.
Horti deliciae meae valete,
Fontes luciduli valete: salve
Mihi villula carior superbis
Regum liminibus: recedo, sensum
Sed meum hic animumque derelinquo.

(VIII.) ex auctoris edit. Venet. p. 133. *Brumam* poëtae pro hieme usurpant. sed proprie, ut Columella nos docet, (l. xI. c. 2.) dicitur novissimum veteris solis tempus, et novi primum, atque adeo anni ipsius principium. quare nostri illi rerum publicarum conditores illepide, opinor, nec tempestive *Brumalem* suum a Novembri mense incohabant.

V.

In poëtam et oratorem malum

Diu creditus est Nepotianus
Orator bonus et bonus poëta:
Dum videlicet iste scriptiones
Malas non nisi item malis legebat
Oratoribus et malis poëtis.
Sed postquam miser impudentiore
Ausu protulit has bonis legendas
Oratoribus et bonis poëtis;
Statim creditus est Nepotianus
Orator malus et malus poëta.

(1I.) in auctoris libello p. 16. hoc nempe refert, si nostra docti probent, quibus haec, ut ajebat Horatius, (lib. I. Serm. x. extremo.)

. . . . sint qualiacumque,
Arridere velim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra.

VI.

Ad Camillum Zampierium Com.

Perge mi hendecasyllabis trecentis,
Perge o ludere, culte Zampieri;
Illis namque nihil magis Latinum,
Nil magis lepidum vel expolitum,
Nil quidquam magis est Catullianum.
Quos ut aure bibo patentiore,
Statim pessima quaeque cura dormit,
Statim me jocus ambit et voluptas,
Vnusque efficior beatiorum.
Perge mi hendecasyllabis trecentis
Perge o ludere, culte Zampieri.

(II.) ex eodem libro p. 20. *Catullianum.* laudat Zampierium vere Bassanus, quod Catullum ille imitatus sit: sed Catullum ipse Bassanus multo diligentius expressit, omnium venator formularum, quibus ille usus est.

VII.

Ad Nomenium

O doctissime omnium poëta,
Quotquot sunt, fuerunt, erunt, Nomeni,
Hos civis tuus et tuus sodalis
Mitto versiculos tibi legendos,
Judex ut sapiens, gravis, severus
Tandem constituas, frui ne luce
Sint, an nocte premi tenebricosa
Digni perpetuo mei labores?
Nam mi nocte premi tenebricosa
Luce digni aliis videntur alma.
Hanc litem dirimas, volo; verendum

Nec est, ne graviter feram et moleste
Quidquid ipse tibi placere dicas.
Namque cur doleam, videns te, amice,
Meum aut judicium,aut probasse carmen?

(vII.) Leges inter auctoris Hendecasyllabos n. 5.

Nomenius vero hic alius esse non potest, quam Bernardus Zamagna, qui et poëta clarus, et patria Ragusinus, unde auctor fuit, Cunichius nempe, atque ex eadem Societate, in qua uterque vixit floruitque, dum ea stetit.

Detur porro et hoc laudi Cunichio, quod judicium ejus exquisierit, quem in adolescentia auditorem habuerat, et poëtam ipse formaverat.

Debemus Zamagnae Odysseam Homeri Latinam, quae Iliadi Cunichianae in editione Veneta merito conjuncta est. idem proluserat praeclaro operi a prima juventute poëmatibus binis, quorum alterum *Echo* inscriptum est, alterum *Navis aëria*: in quo Lanam nostrum sequutus est, ea versibus ornans, quae habet in Prodromo suo (cap. 6.) et in Opere ipso. (T. II. lib. vI. p. 291.) utrumque autem opusculum docti viri passim probavere.

VIII.

Ad Gablonetam medicum

Gabloneta, mearum ineptiarum
Ex usu assiduaque lectione
Si quidquam tibi dulce comparasti,
Aut si nil mihi, nil tibi molesti
In sodalitio tuo meoque
Vnquam contigit, accidetque nunquam,
Mitte, oro his genialibus diebus,
Istis mitte diebus otiosis
Agnelli lepidi, venusti Agnelli
Carmen, quod gravibus jocis refertum
Dicunt et salibus Catullianis.
Nam fama est, ut amas bonos poëtas,
Vt doctas colis eruditus artes,
Olim illius et hinc et inde sparsum

Collegisse poëma, ne periret:
Concivemque tuum pati nequisse
Situ aut tempore carpier maligno.
Quare dum vacuus domi quiesco,
Praestant dum inducias malae podagrae,
Sepositis gravioribus libellis,
Agnelli lepidi legam labores.
Tu vix credere, ego explicare possem,
Quam me artes juvat, ingenique fructus
Suspexisse Bianoris nepotum.

(I.) ex auctoris edit. Veron. p. 78. Hieronymus Gabloneta, domo Mantua, Philosophus erat idem et Medicus. Agnelli poëtae memoria excidit: gens ejus manet, eaque aevo quoque nostro nobilissima.

Concivemque. Latine omnino. videsis Maffejum. (Mus. Veron. p. 87. n. 5.)

Bianoris. hujus nepotes ipsi Mantuani sunt. Mantuae enim conditor Ocnus, qui et Bianor, cujus Virgilius mentionem intulit. (ecl. VIIII. v. 60.)

VIIII.

Columba Noëmica

Ne te, si sapis, albula Columba,
Quae nimis propere domo e natanti
Prodis, immodico atque adhuc furenti
Ne te, inquam, pelago, columba, credas.
Non est, quo timidum queas parumper
Pedem sistere, quin luto atque coeno
Inquines niveas repente pennas.
Quamquam ego id minimi reor putandum:
Nescis, si misere te inepta perdis,
Quid saecla inde queant referre damni?
In te una siquidem recumbit omnis
Pulcrarum soboles columbularum.

Ne te, ne pelago, columba, credas.
Quod si te pietas nec ulla tangit
Tui sanguinis, heu qui acerbus, heu qui
Tibi cor quatiet pavor tenellum,
Depressa quoties videbis unda
Semesos pecudum virûmque truncos!
Ne te, ne pelago, columba, credas.
Obscoeno haec placeant parata corvo
Laute prandia: tu genus bonarum
Apprime volucrum, et sueta mundis
Victitare cibis, quid inter altos
Sordium poteris comesse acervos?
Ne te, ne pelago, Columba, credas.
At quum dira premet fames vagantem,
O senex bone, tum querere frustra,
Cur te, cur bone te senex reliqui!
Nimirum placitas amanter escas
Praebebas mihi: at hic perire certa
Cogor esurie. sed eja age eja
Ne te, ne pelago, Columba, credas.

(xxiiI.) ex auctoris lib. iI. p. 122. vide autem caput viiI. Geneseos n. 8. legenda hinc tibi sunt, quae habet Samuel Bochartus in Hierozoico lib. I. c. 6. de Columba Noachi, imo et quae toto libro de mundis avibus eruditissime exposuit.

X.

Poëtae solatium post labores

Rogas, dulcis amice, saepe amicum
Quando jam reducem domus recepit
Me fessum mea, post gravem laborem,
Qui lassare aliquando curiones

Vel ternos queat, una mi voluptas
Quae sit tunc, animoque blandiatur?
Crede, Bibliotheca recreare
Potest sola animum; molesta forte
Nisi accesserit altera inde cura,
Quae partam subito auferat quietem.
Mille namque viri, boni et sodales
Ex omni genere atque natione
Comes me accipiunt. tot inter illum
Qui adridet magis adloquor, nec alter
Mecum irascitur, ipse quod relictum
Sese posthabitumque nec merentem
Agnoscat. faciles mihi recludunt
Quidquid divitiarum habent, nec ullum
Thesaurum sibi conditum latere
Iam quisquam velit, abdere aut laboret
Sunt illi taciti quidem et silentes,
Sed umbrae tamen, obviae pavorem
Quae nulli incutiunt, abire cunctae
Et quiescere, si velis, paratae,
Rursum et, si modo jusseris, redire.
Isthaec me reficit fovetque mira
Lenitasque virûm suavitasque.
Nam, quaeso, potior cuiquam amicus
Quando contigit unquam, ubi vel aegrae
Par menti inveniam meae levamen?

(XIII.) Multa in promptu, quae discas utiliter, cur non habeat Bibliotheca hodie vel parvula, si uno in Homero invenit Horatius praeclara vitae praecepta, eaque uberiora, quam quae tum a veteribus philosophis peti possent? (vide epist. II. lib. I. tum et Bruckerum Hist. Crit. Phil. vol. I. p. 422. §. 32.) hoc opus, ne lectionis unquam te pigeat.

xI.

Qui levis, idem et ridiculus

Dum Brutum simulare se fatetur
Tonso Sulpicius puer capillo,
Et gaudet dominis placere Gallis;
Ecce nuncia, Teutonos redire,
Promissosque Ducem probare crines.
Quid tonso faciat puer capillo?
Qui possit dominis novis placere?
Dat huic consilium planus, comati
Vt galericuli induisse tegmen
Quam possit properet, geratque morem.
Quid tum? crinibus invenusta fictis
Dum prodit, facies, novi et capilli
Ridentur; puerisque, quod cavebat,
Debet ludibrium puellulisque.

(xIIII.) *Teutonos redire.* Graecis Τευτονες sunt, qui Latinis Teutoni, olim Cimbrorum socii: insulas Germaniae ultimae incolebant; sed novas sedes adepti, latius per Germaniam ipsam dominati sunt. vide Cellarium. (Dissert. v. an. 7. P. II.)

Debere ludibrium ii dicuntur, qui vitare illud non possunt. Graecorum phrasis erat οφλισκανειν γελωτα, quam Horatius sic reddidit. vide Lambinum. (ad Horat. lib. I. od. xv. v. 16.) est autem, ajebat Tullius (lib. II. de Orat. c. 59.) *deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad jocandum. sed quaerimus idem, quod in ceteris rebus maxime quaerendum est, Quatenus.*

xII.

De carminum delectu

Queruntur socii mei poëtae,
Vix unum esse sibi datum alterumve

Tot inter locum, uti sua explicarent,
Sunt quamquam et lepidi ipsi et elegantes,
Atque aevo meriti priore honorem.
Queruntur tamen, ut loquar modeste,
Nec jure, atque parum pudenter omnes.
Caussam quisque etenim dedit repulsae
Notus nomine quisque Christiano,
At verbis alius jocisque passim:
Quod priscos oleat novetque mores
Amator venerum cupidinumque:
Quod Phoebo ac Jove turpis invocato,
Profanas recolat levis fabellas,
Oblitus temere lavacra fontis,
Quo sordes puer abluit parentum.
Nempe hic carminibus locum esse puris
Discant, Relligio probare sancta
Quae possit, pueris et apta castis
Quae sint. jam nihil aut anus camoenas
Aut Jovem modo adulterum moramur,
Et tali sobolem parente dignam.
Hoc stat, si Superi adnuant volentes,
Poësin veterum expiare poena,
Vt sit, quae deceat bonos poëtas,
Et vivos juvet una posterosque.

(XIIII.) *Poësin.* hanc a poëmate sic distinguebat Lucilius; ut ea opus grande significari diceret, hoc vero carmen aliquod: (in fragm. Satyr. lib. VIIII.)

Pars est parva Poëma, proinde ut epistola quaevis:
Illa Poësis opus totum, ut tota Ilias, una
Est Θεσι , Annalesque Enni, atque istoc opus unum
Est majus multo, quam quod dixi ante Poëma.

verum Poësis genus etiam ipsum scriptionis designat, quod oratorio generi opponitur: ut quum Tullius ait: (lib. III. de Orat. c. 25.) *Quamvis claris sit coloribus picta vel poësis vel oratio, non potest in delectatione esse diuturna*. atque hoc sensu usurpata hic *Poësis* est.

XIII.

De Clarensi ludo Carreriano

Primos ante hiemes brevesque soles
Certamen trepidi novum laboris,
Mauretania quale Caesareae
Non vidit, puerûm ordines sub urbem
Instaurant gemini; ac datis lacernis,
Iam duras manibus sudes retractant.
Hos Carreria vallis apta pugnae
Cogit. duratei stat orbis unus
Ingens in medio globus: catervae
Hinc atque hinc duce cum suo, priorque
Init proelium, amica cui dedit sors.
Hic globum valido incitatus ictu
Actutum medios agit per hostes
Multo cum fremitu: ducem sequuti
Obsistunt socii, atque pugna saevit.
Hostes nempe globum truces repellunt
Armati sudibus, modo hic modo ille
Certatim, prohibentque terminorum
Vltra excurrere lineam: cavere
Hi contra, ad medium repulsus inde
Ne locum redeat; labor quod ille
Nequicquam excidat omnis, hostibusque
Iam victoria parta debeatur.
Duci tunc iterum incohare pugnam

Victori tribuunt vetusta jura.
Ergo dextra alacer, minatus hosti
Adventare polo globum, repente
In adversae aciem jacit catervae.
Pugnatur studio acrius, pudetque
Victos, ni superent: cruore saepe
Stat victoria: nec tamen dolentes
Vittati redeunt domum puelli,
Palmae quos amor egit in pericla,
Audaces nimium insciosque pugnae.

(XIIII.) *Mauretania quale.* multo sane atrocior pugna, non ludus, in Mauretania apud Caesareenses instituebatur quotannis, de qua Augustinus (lib. IIII. de Doctr. Christ. c. 28.) se gravissime disseruisse ait, ut cives ab ea consuetudine revocaret. *Quum,* inquit, *apud Caesaream Mauretaniae populo dissuaderem pugnam civilem, vel potius plus quam civilem, quam* Catervam *vocabant; neque enim cives tantummodo, verum etiam propinqui, fratres, postremo parentes ac filii lapidibus inter se in duas partes divisi per aliquot dies continuos certo tempore anni sollemniter dimicabant, et quisque ut quemque poterat occidebat: egi quidem granditer, quantum valui, ut tam crudele atque inveteratum malum de cordibus et moribus eorum avellerem pelleremque dicendo.* at nihil hic tale apud nos: gloriam enim pueri petunt, non sanguinem, nec odiis certant, sed astu et viribus: esto imperitos saepe incautosque poena sequatur.

XIIII.

De ludo puerorum Clarensium per dies glaciales

Hiems quod properans redit, quod horret
Multo a frigore civitas geluque
Fossas obriguisse nunciatur,
Tardo moenia quae adluunt meatu;
Nil dolent pueri, domumque et urbem
Laeti deseruere: nec parentum
Dura jussa morantur aut magistri.

Stat ludo sibi perfrui parato,
Annus quem revehit, citusque tollit.
Iam tentant, glacies ferat ne pondus,
Incessumque pedi det apta tutum.
Mox effusa super novum caterva
Exultare solum audet, atque gressum
Librans cruribus advolare valgis
Stagni per vitrei fluenta, quantum
Levis porrigitur nitetque sulcus.
Sed quid, si trepidi pedes vacillant,
Aut cursum dolus invidi sodalis
Sistat praecipitem? ruunt sequentes
Tum simul socii: vicem cachinnis
A ripa excipiunt, manuque plaudunt
Qui spectant procul. haud tamen palestrae
Finis: subsiliunt, opem et tulisse
Jacenti juvat, ac vocare rursus
In ludum: renuunt nihil, queruntur
Et nihil pueri, cohors amica:
Quippe his, dum repetant noventque ludum
Susque et deque alia esse cuncta cernas.
Nec vi frigoris abstinere visus,
Offensus gelidis nec ullus auris:
Pares quos Latiae putes juventae,
Quam quondam gelidis parens in undis
Durabat, bona quae trucis labores
Ferret militiae gravesque pugnas.

(XIIII.) *Cruribus valgis.* suras quippe habere diversas videntur pueri, dum uno impetu per glaciem feruntur, quemadmodum et qui *Valgi* dicuntur.

Susque deque: id est contemnenda videri: audi Lucilium: in (fragm. ex lib. III. Satyr. n. 6.)

Verum haec ludus ibi, susque omnia deque fuerunt,
Susque et deque fuere, inquam, omnia ludu jocusque.

Pares quos Latiae. vide Virgilium (Aen. lib. VIII. v. 603.)

XV.

De Farone fure qui et Aquila dictus

Nae belle est Aquilae inditum Faroni
Nomen, indigenis bono atque amico,
Infesto at male ceteris: adire
Fur procul positas potentiorum
Qui domos amat elegans rapaxque,
Mox dives redit ad suos penates.
Sic regina avium jugis agrisque
Parcit finitimis, petitque praedam
Longinquo a grege dissitisque ab hortis.

(XIII.) *Aquila,* inquit Aldrovandus, (Ornith. lib. I. p. 10.) *non venatur loco nido suo propinquo.* haec ad rem nostram. tu vero et commentarios ejus egregios, si vacat, percurre, quos de Aquilis reliquit libris duobus: sunt enim digni qui legantur. ad agnomina autem quod pertinet, ea veteres sic efferebant, ut hic Faro qui et Aquila, vel sic, *Faro signo Aquila.* vide Odericium. (Syllog. Inscr. p. 347.)

XVI.

De viri docti modestia singulari

Dic sodes, mihi, Sulpici, quid hoc est?
Certamus veteres novique amici,
Quum fas te ad patrios vocare honores,
Et primam juvat adtulisse palmam:
Tu semper renuis, latere semper
Aves, nec studium probare nostrum,
Stare aut judicio soles tuorum.
Si pergas, alii, cave, superbum

Ne dicant, sapere unus et videre
Qui tibi videare, plus amici
Quam veri sapiunt tui videntque.
Non ego tamen adnuam, pudicum
Qui norim ingenium tuosque mores:
Sed catum tibi dixerim bonumque,
Non item patriae, beata tanto
Quae tandem cupit enitere alumno.

(XIIII.) *Sodes*, id est *si audes*, quemadmodum veteres pro *Si vis*, *Sis*, dicebant, et *Illico* pro *in loco*, et *Sultis* pro *Si vultis*, et *Scilicet* pro *Scire licet*. est autem illa blande rogantis aut hortantis antiqua formula, qua et poëtas et oratores saepe usos videmus.

Cave: pes est dibrachys saepe Horatio aliisque. itaque quidam a *Cavo Cavis* deducunt, sed incerto exemplo. alii vocalem ultimam communem habent, quod Horatius ipse aliquando et Ovidius produxerint.

XVII.

De Laurentio Biancinellio artis medicae studiosissimo

Quamquam Felsina docta te probarat,
Laurenti, adsiduo labore clarum,
Acutum ingenio, eruditione
Excultum studiisque, nec minorem
His, qui nunc medicam sequuntur artem,
Cauti judicio probique; rursus
In ludum tamen hinc adire pergis
Tribu nobile Papia Ticinum
Edocendus adhuc, priorque parta
Vis inter juvenes nitere laude,
Nec nisi meritos tulisse honores.
Placet; quippe bonis diu nepotes
Quos aetas feret, hisce perfruentur:

Non placet, tua quod juvare virtus
Iam nostram poterit nihil senectam.

(XIII.) *Tribu nobile Papia.* in tribu Papia censebantur Ticinenses, ut veterum marmora ostendunt. at sequioris aevi Scriptores Romanum morem minime intelligentes, quo tribus post nomen cujusque in titulis ciebatur, Ticinum binomine putaverunt, et Papiam quoque dictum antiquitus existimarunt. inde factum, ut id nomen prae alio adhuc in deliciis sit, quod plane ridiculum est. vide quaeso de hac re Fontaninium ad calcem praeclari commentarii sive *Disquisitionis de corpore s. Augustini Ticini reperto.*

XVIII.

De teste inepto

Forte causidico perustus ore
Adstabat Lamia Helvius, priorque
Testis prodierat rogandus: ergo
Crassus hunc oculo indicans manuque,
Pulchellum puerum audiamus, inquit.
Arrisit populi corona: at ille,
Formam fingere mi, reponit, haud est
Datum, ast ingenium datum: inde Crassus
Audiamus age, addidit, disertum.
Arrisit magis ac magis corona.

(XIII.) Rem totam eleganter Tullius de ridiculo agens narravit: (lib. II. de Orat. c. 65.) *Invertuntur autem verba: ut Crassus apud M. Perpennam judicem pro Aculeone quum diceret, aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Helvius Lamia, deformis ut nostis, qui quum interpellaret odiose, Audiamus, inquit pulchellum puerum Crassus. quum esset arrisum: Non potui mihi, inquit Lamia, formam ipse fingere: ingenium potui. tum* hic, *Audiamus, inquit, disertum. multo etiam arrisum est vehementius.*

XVIIII.

De Acca Transpadano

Etruscae cupidus loquutionis,
Vt voces bibat auribus sonumque,

Senis vitam agit Acca Transpadanus,
Orator prope jam futurus ingens.
Cuncta quum didicisse jam putaret,
Nulli impar sibi visus incolarum,
Forte anceps puerum rogat, quota hora est.
Nae nona hospes, ait puer, rudemque
Linguae adhuc monuit politioris.

(XIIII.) *Forte anceps*: istud *Forte* vel eruditi interdum pro *Fortasse* usurpant, quum in libri margine adscribunt quod emendandum putant. verum *Forte* adfirmantis est, quod casu acciderit, ut apud Horatium lib. I. Serm. VIIII. *Ibam forte via sacra.* at *Fortasse* semper dubitantis vox fuit.

Quota hora est. vide, si libet, Horatium lib. II. Serm. VI. colloquia sua in rheda cum Moecenate commemorantem.

Hospes. idem olim Theophrasto accidisse accepimus, qui Athenis aetatem ageret, optimeque loqueretur. nam is percontatus ex anicula quadam, quanti aliquid venderet, et de pretio nonnihil questus, respondentem audiit, *Hospes non pote minoris*: quod ille tulit moleste, probe intelligens, se nondum effugere hospitis speciem. erat nimirum quidam et in Atticis sonus, quem peregrini aegre adsequebantur: sicut et in urbanis nostris, ajebat Tullius: (de clar. Orat. c. 46.) *Ego memini*, inquit, *T. Tincam Placentinum hominem facetissimum cum familiari nostro Q. Granio praecone dicacitate certare . . . . sed Tineam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescioquo sapore vernaculo.*

XX.

De adolescentis lectissimi reditu in patriam post studia

Alexi Rota, floscule o juventae,
Quem Modoetia docta pervolentem
Ignorare nihil fovet secundo
Sub caelo egregiisque sub magistris:
Te demum reducem manemus, omnis
Et manet comitum cohors. beare
Qui domum potis optimumque patrem
Et fratris cupidas sui sorores,
Queis optare alius pudentiores

Nemo vel queat elegantiores:
Quid moraris adhuc? bonus vocanti
Veni item Patriae utilis, tuoque
Multis ingenio futurus: atque
Rerum multiplici eruditione.
Laetos invenies dies, fugato
Duellique metu hostiumque, cives
Iuvabitque videre laureatos,
Quorum pax animos amorque junxit.

(xiiiI.) *Duellique metu.* est utique Duellum μονομαχια. sed Bellum quodcumque item designat, quod fere inter duas urbes aut inter gentes duas esse solet. veteres idcirco ipsum Bellum vocant *Duellum*, poëtae imprimis. Priscianus lib. xiI. *Duellum*, inquit, *dicebant antiqui pro Bellum, ex quo Perduellio.* Plautus in Prol. Capr. *Domi Duellique Duellatores optimi.* sic *Duellica proles* et *Duellona* occurret. vide Voscii Etymol. in *Bellum.*

xxI.

Ad pueros, ne novum militem metuant

Quem praestat niveo diem lapillo
Signare, atque hilari probasse vultu,
Hoc armis pedites feros et igne,
Alacresve equitum pavere turmas
Non pudet, pueri? obviam timore
Ite seposito: bonam adferentes
Pacem et otia tuta, perbeatos
Hi nos esse jubent. videte, gaudent
Vt cives, manibusque et ore plaudunt!
Laetari at mage vos decet, perenne
Vita quos manet hinc quieta in aevum,
Aetasque artibus apta litterisque.
Dura nos tulimus senes: fruendum
Vobis, quod superest boni, relictum est.

(XIIII.) Scripta haec faustissimo die, in adventu scilicet fortissimi exercitus liberatoris Italiae, qui Claras pervenit pridie kalendas Majas anni M.DCCC.XIIII. cujus rei caussa Clarenses Arcum subitario opere exstruxerunt, titulo hujusmodi superaddito.

MAGNIS · IMPERATORIBVS · CLARISSIMISQVE · REGIBVS
ΦΙΛΟΒΡΙΤΑΝΝΟΙΣ
SANCTISSIMO · FOEDERE · CONSOCIATIS
QVORVM · VIRTVTE
ANTISTES · SACRORVM · MAXIMVS
INSIGNI · REDITV · IN · HONORIS · SVI · SEDEM · DEDVCTVS
GALLIA · TYRANNIDIS · VESTIGIS · DELETIS · SERVATA
PAX · EVROPAE · VNIVERSAE · PARTA · EST
ORDO · ET · POPVLVS · CLARENSIS
DEDICAVERE
TVTORIBVS · CATHOLICAE · LIBERTATIS

XXII.

De hospitiis militaribus

Perpessis gravia omnia atque acerba
Vno sub domino alterove, finem
Visus hic miseris dies tulisse,
Atque almam trepidis perennitatem.
Dic nunc Ausoniae incola o receptae,
Dic nunc dulcius ecquid accidisse
Iam censes tibi cariusque: certe
Nil credo magis, inde barbarorum
Quod nemo tibi sit futurus hospes,
Nec miles metuendus atque calo,
Clam qui surripiant, quod abdidisti,
Vim vel insidiasque dormienti
Qui struant pueroque virginique,
Prisca o tempora Vandalique mores!
Atrox nae magis, magisque durum
Tot annis nihil extitit. rogamus
Ergo vos, Superi, favete, adeste,
Ne quid tale iterum ingruat malorum.

(XIIII.) *Tot annis*: tristissimam belli tempestatem appellavit olim Romussius jurisconsultus, quod anno M.DCC.XXXXV. per agrum Parmensem transeuntes milites hospitio accipiendi fuissent. (de Re Agraria Resp. 19. p. 50.) quid scripturus fuisset, si haec in tempora reservatus, oculis suis tot annorum calamitatem usurpasset?

XXIII.

De tabula Teosae Michaëliana

Hoste jam superis abacto ab oris
En adest Michaël, opus Teosae
Optatum, aureolum, nitore pulcrum
Insigni et specie: videre quisquam
Vt primum potuit, libens amavit
Et videre iterum libens cupivit.
Num sperare aliud subinde fas est?
Quam vellem: sed enim meus Teosa
Arte ille ingenioque pictor unus,
Qui laudem veterum aequat et novorum
Infelix oculis laborat, anceps,
Cui tot gypsea dona, cui relinquat
Tot programmata scita, tot tabellas.
Ni servet patriae bona haec, supellex
Tanta cui mage convenire possit?
Haec prima imbuit, extulitque alumnum
Et talem genuisse gloriatur.

(XIIII.) *En adest*. tabula haec pulcherrima Claris exstat in Iacobeo, quam hospites quoque visere solent, et visisse gaudent.

Oculis laborat. de Pictorum morbis scripsit egregie Ramazzinus cap. VIII. diatribae de morbis artificum, quam legisse neminem poeniteat.

XXIIII.

De theatro et scholis Clarensibus

Inest recti aliquid bonique, rursum
Quod placet veteris decus theatri

Comoedusque jacet levis: nec ullus
Hic vanis locus est datus cachinnis:
Sed prisco suus est honor cothurno,
Honor carminibus suus, vigentque
Ars vocis bona, musicique cantus.
At quantum superat valetque aperti
Quod ludi studiis calent reductis
Et multo reboant scholae favore:
Nulla quod sileat vacetque magnis
Facultas celebrata sub magistris:
Quod ingens pueris opus paretur,
Ne doctor pius uspiam excolendis
Iam sit nunc animis rogandus aegre.
Doctrinaeque queant patere fontes,
Quicumque eximiam attigisse laudem
Laboris patiens amet, petatque
Et primam velit abstulisse palmam.
Mox et surget opus novum juventae
Quod simul patriae advenisque prosit
Quaterna facie superba moles
Musarum hospitium. beata proles
Sub custodibus alta destinatis
Aletur, pietate litterisque
Iam grandis sibi posterisque nomen,
Prolatura iterum patrumque famam.

(XIIII.) Haec utique vota Clarensium sunt bonum commune spectantium, quibus non modo doctorum hominum voluntas favet, sed etiam ditiorum studia obsequuntur.

AVCTORIBVS

PARTAE LIBERTATIS

Cyrnius ex quo auro incubuit, rapuitque quod artes
Extuderant diti pulcrius Ausoniae;
Iam rerum exacta pro libertate potitus
Vix gemitum miseris liquerat èt lacrimas.
Austriadae sed adestis ovantes: tristia demum
Cessere, adsurgunt gaudia, plaudit amor;
Libertasque redux quas perdidit, ipsa parabit
Sat sibi opes, tanto tuta patrocinio.

OPVS ABSOLVTVM
KALENDIS DECEMB. FAVSTIS FELICIBVS
ANNO M.DCCC.XVIII.
PRAESIDIBVS PERMITTENTIBVS
VT ITERVM IN LVCEM EDI POSSIT
EX TYPOGRAPHAEO
NOVAE BETTONIANAE SOCIETATIS

DE PAULLO BROGNOLIO V. C.

AUCTORE EDITIONIS PRIMAE

Denique in optatam discedite carmina lucem
Pressa diu: Paullus vivere saecla jubet:
Quippe unus doctae potuit vos credere dextrae,
Quae formis priscum reddat et arte decus.
Audeat invidia si quis contemnere, Paullo,
Dicite, sat nobis judice tutus honos.

INDICES EORVM

QVAE IN VTROQVE LIBRO

AD HISTORIAM AVT PHILOLOGIAM PERTINENT

C

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

S